START

Reel Contents

1. Lengnick / Ad emendandos explicandosque Ciceronis libros De ...
2. Lindner / De M. Porcio Latrone
3. Kamp / De Ptolemaei philadelphi pompa Bacchica
4. Loew / [Charis]
5. Lenting / Observationes criticae in Aristophanis comici fabulas
6. Leo / Tacitus : Rede zur Feier des Geburtstages seiner Majestät des ...
7. Leo / Analecta Plautina de figuris sermonis II
8. Leisner / Rituum antiquorum investigatorem non esse exlegem
9. Hyperides ; Levi / L'Euxenippea d'Iperide
10. Leiste / De Hor. Od. I. I. v. 29 ss

Reel Contents (2)

Reel Contents (3)

19. Kayser / De pinacotheca quadam nepolitana
20. Linde / De lano summo Romanorum deo
21. Lipsius / De Themistoclis Plutarchei locis quibusdam
22. Lössl / Entwicklung der römischen dichtkunst bis auf Horaz
23. Lobeck / De morte Bacchi : partem secundam
24. Lobeck / De nominibus Graecorum verbalibus dissertatio prima
25. Lobeck / De diis veterum adspectu corporum exanimium non prohititis iterum editae pars altera

AD EMENDANDOS EXPLICANDOSQUE CICERONIS LIBROS DE NATURA DEORUM

QUID EX PHILODEMI SCRIPTIONE
ΠΕΡΙ ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ REDUNDET.

Peri eusebeias

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS
DIE XXIX. M. JULII A. MDCCCLXXI.
HORA XI

IN AUDITORIO MAXIMO

PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

BERNARDUS LENGNICK,
BEROLINENSIS.

ADVERSARII:
RICHARD MAHRENHOLTZ, STUD. PHIL.
HUGO HERTZBERG, STUD. PHIL.

HALIS SAXONUM.
FORMIS PLOETZIANIS.
A. MDCCCLXXI.

A.

Caput I.

Adferuntur causae, quibus ad credendum adducimur, Ciceronem non iam a principio librorum de natura deorum id egisse, ut superiorum philosophorum de diis doctrinas percenseret.

Quae in primo de natura deorum libro C. Velleius, quem Cicero sectae Epicureae causam fecit agentem, continua oratione disseruit, eorum tres facile possunt dignosci partes, quarum prima et Platonis de deo, opifice mundi et aedificatore, sententia deridetur, et Stoicorum, quam de providentia et mundo animo sensibusque praedito posuerunt; altera autem pars brevem opinionum, quas superiores philosophi de diis habuissent, enarrationem et refutationem continet; tertia denique aliquot Epicuri ipsius placita theologica explicantur. Primam vero et secundam orationis partem, sive ad rerum nexum respicitur, sive ad scriptoris consilium, quod idem haud obscure indicavit, non tam quam oporteat arcte inter se cohaerere, nemo infitias ibit, qui accuratius paullo illam orationem perlegerit. Difficultate enim et obscuritate quaestionis de natura deorum significata, totam rem causamque Cicero ad illam revocat dissensionem, utrum nihil dii agant, nihil moliantur omnique rerum curatione et administratione vacent, an contra ab eis tam a principio omnia facta et constituta sint, quam in tempus infinitum regantur atque moveantur. Unde eum dilucide adparet Stoicorum dumtaxat et Epicureorum doctrinas voluisse exponere, et ita quidem, ut perpetuis utriusque scholae defensorum orationibus subiungeret diiudicationem ac refutationem easdemque telis et fallaciis academiae recentioris in utramque partem disserendo labefactaret. Praeter omnem igitur exspectationem neque artificiosius Velleius, quem Plationis et Stoicorum sen-

tentiis ut futilibus commenticiisque reprehensis ad magistri placita enarranda transiturum esse paene certo sperabas, orationem suam c. 10. §. 25. continuat brevi adumbratione, qua XXVII. philosophorum Graecorum de rebus divinis opiniones recensentur et acerbissime confutantur. Neque vero minorem habet admirationem, quod Velleius, quamvis c. X. §. 25. his verbis usus „atque haec quidem vestra, Lucili“ aperte Stoicos valere iussisse se declaraverit, in sequente Graecae theologiae adumbratione post Peripateticorum censuram verbis „ut iam ad vestros, Balbe, veniam“ ad Stoicos rediens Zenonis, Cleanthis, Persaei, Chrysippi, Diogenis Babylonii sententias tradit et refutat. Quam miram scriptoris inconstantiam ita dixerit fortasse quispiam tollendam esse, ut posteriori loco Graecos tantum Stoicos percenseri putemus, cum, quae antea Velleius perstrinxerat, ad unum Balbum, Romanum illius disciplinae sectatorem, pertineant. At qui excusari potest, quod Balbus in libro secundo fuse suae sectae disciplinam explicans nullam omnino habet rationem Velleii conviciorum in eos ipsos viros, aquibus totus pendebat, collatorum? Plane enim silentio premitur acerba illa Velleii censura, quam repelli a clarissimis scholae columinibus hominis Stoici maxime intererat. Cogitat sane Balbus II. §§. 23 et 24 de Persaeo, dum multas res utiles generi humano et salutares deorum vocabulis nuncupatas esse disputat, sed non expresse ad libri primi cap. 15. §. 38. remittimur. Quod autem II §. 63. Cleanthes quoque iis adnumeratur Stoicis, qui per quandam, ut ait Cicero, significationem poetarum fabulas interpretati sunt, I. cap. 14. §. 37, ubi eiusdem philosophi doctrina percensetur, nulla huius studii fit mentio. Quotienscumque denique Balbus Velleianam orationem tangit, prima tantum et tertia eius pars respicitur, [1]) quod casu evenisse nemo, opinor, censebit. — Omnibus autem his argumentis accurate perpensis, facile suspicamur Ciceronem non iam a principio sibi proposuisse, quas de deorum natura sententias singuli

[1]) Omnes ad hanc rem pertinentes locos Krische in pg. 24. libri sui, qui inscribitur: „Die theologischen Lehren der griech. Denker. Göttingen 1840.“ congessit, qui liber quidem diligentissime elaboratus est, nec tamen semper nobis ex opibus congestis simplicem Tullianorum intellectum praebet.

philosophi habuissent, exponere, sed vel in ipso conscribendo libro vel in retractando nescio qua causa commotum esse, ut illam narrationem orationi suae intexeret, neque eorum, quae antea erant dicta, satis memor, neque in ceteris perscribendis huius interpositi recordatus, nisi quod Cotta in Velleii oratione recognoscenda (I. 33, 92, 34, 94.) ad capitis sexti decimi initium respicit, ubi ille se non philosophorum iudicia exposuisse ait, sed delirantium somnia.

Caput II.

Cur neque ex suopte ingenio Cicero theologiae antiquae adumbrationem deprompsisse putandus sit neque ex ipsis philosophorum scriptis congessisse, exponitur.

Nec vero in illa solum laxata coniunctione, qua ceteris cum partibus illa adumbratio connexa est, summo iure haeremus, verum etiam toto dicendi genere, quod hac in parte invenitur, offendimur: saepius enim nota desideratur perspicuitas atque elegantia orationis, qua suaviter oblectare solet Tullius et salebras etiam interioris doctrinae fallit. Licet autem saeculis superioribus fortuna nostris libris minus faverit, inde tamen contortae et obscurae orationis, qua in intellegendo interdum adeo impedimur, ut verborum intellectum aegre assequi possimus, idonea excusatio repeti nequit. Quod vero dixerit fortasse quispiam Ciceroni argumenti difficultatem obstitisse, quoniam a philosophia morali iamiam ad sacra theologorum degrederetur, id non gravioris est momenti: quid enim, quaeso, impedimento esse potuerit summo illi linguae artifici, quominus rem orationis elegantia et perspicuitate exprimeret, dnmmodo satis praeparatam atque meditatam haberet materiam? Aliam ergo causam circumspiciamus necesse est. Plurimum autem ad expediendam illam difficultatem proficimus reputantes, quam rationem Cicero in libris philosophicis exhibendis secutus sit. Quamvis enim inde ab adulescentia Graecae philosophiae cognitionem sibi parasset, neque tamen, ut Romanus, qui oratoris usu et liberali ingenii cultu scientiam metiebatur, internos sectarum recessus perscrutatus erat, neque materiam multo

ante collectam habebat. Cum igitur ei seni reipublicae casus et domestici scribendi occasionem attulisent, Graecis vestigiis insistere statuit, ita ut in singulis philosophiae partibus unum vel plures duces sibi elegeret, quos sequeretur. Ipse autem pluribus locis, quomodo in philosophia tractanda sit versatus, aperuit: Scribit enim ad Atticum, hominem ipsi familiarissimum (epp. lib. XII, 52.) haecce: „Dices, qui talia conscribis? Apographa sunt, minore labore fiunt, verba tantum adfero, quibus abundo.“ Alio loco (XIII, 19, §. 5.) ait: „Sunt enim vehementer πιθανὰ Antiocheia, quae diligenter a me expressa acumen habent Antiochi, nitorem orationis nostrum, si modo is est aliquis in nobis.“ His igitur locis saepe nihil aliud se fecisse, quam ut auctoris Graeca verba Latine redderet, amico libere ingenueque confitetur. Attamen non semper Ciceronem eandem rationem instituisse, aliis ex locis concludi potest (cf. Fin. I. §. 6. Off. I. §. 6. II. §. 60. III. §. 7.): non enim interpretis solum munere fungebatur, sed etiam e fontibus iudicio arbitrioque suo hauriebat. Quacumque autem ratione versatus est in philosophia conscribenda, nobis sufficit demonstrasse, eum non ex suopte ingenio rem tractandam deprompsisse, sed elegisse e Graecorum copiis. Quin vero Cicero, cum ad philosophorum opiniones describendas accederet, quoniam Graecae theologiae penetralia non perlustraverat, ex Graecis fontibus hauserit, dubitari non potest. Hac tamen in re conficienda lenem illum verborum cursum orationisque perspicuitatem interdum periisse mirum non est, praesertim cum lingua inopi necdum ad res subtiliores et spinosiores exprimendas subacta uteretur. Itaque restat, ut disceptetur illa quaestio, utrum Cicero ex singulorum philosophorum scriptis materiam conquisiverit, an breviori aliquo libello ex eorum scriptis excerpto usus sit; Epicurei enim inprimis et Stoici illius aetatis tales libellos componere solebant. Priori autem sententiae tam brevitas narrationis repugnat, qua sine dubio Cicero se abstinuisset, si ex adfluentibus scriptorum copiis excerpsisset suo arbitrio, quam admirabilis illa celeritas, quam in scribendo adhibuit: intra enim temporis spatium biennio brevius cuncta opera elaboravit. Alteram igitur sententiam amplectamur necesse est, Ciceronem in enarrandis philosophorum sententiis σύνταγμα aliquod secutum

esse, quod, cum Velleium Epicureum fecerit dicentem, facile est ad suspicandum ab eiusdem scholae sectatore fuisse compositum. — Quod quidem Cicero de fonte, unde hauserit, plane siluit, nullum habet momentum ad labefactandam nostram opinionem, namque eum saepius auctore non indicato tacitum transtulisse, cum alii viri docti, tum Madvig et Heine sagaciter comprobarunt [1]) Nec magis illud est urgendum, quod Cicero in Platonis aliorumque theologia percensenda expresse ad eorum scripta nos relegat; neque plus habet ponderis, quod I 33. §. 91. Balbum sic dicentem fecit: „etenim enumerasti memoriter et copiose (ut mihi quidem admirari liberet, in homine esse Romano tantam scientiam) usque a Thalete Milesio de deorum natura philosophorum sententias.“ Nam reputandum est, non historiam scribere eum voluisse sed dialogum, per cuius leges de fide historica minus religiosum esse prorsus ei licuit.

Caput III.

Ciceronem Philodemi librum περὶ εὐσεβείας secutum esse demonstratur.

Propitia quaedam fortuna ex magno quasi naufragio nobis inter rudera Herculani, illius Campaniae oppidi, quod fere per mille septingentos annos cineribus et saxis obrutum a. 1752. denuo detegi et in lucem retrahi coeptum est, librum Philodemi περὶ εὐσεβείας, plurimis eum quidem maximisque in papyro lacunis atque aliis mendorum generibus misere foedatum servavit. Cuius libri partem optime servatam, quae tabulas 11—22. tomi secundi eorum Herculanensium voluminum, quae Neapoli a. 1861. publicari coepta sunt, complet, primum Vilelmus Drummondus (Herculanensia. Londin 1810. pg. 223 sq.) edidit, qui idem ex admirabili et verborum similitudine et ordinis rerum, quae inter illam fragmenti partem et Ciceronis explicationem intercedit, intellexit, quae Velleius protulerit de opinionibus, quas Chrysippus et Diogenes de rebus divinis habuissent, ea ex illo fragmento petita esse. Jam antea tamen

---

[1]) Madvig Praefat. ad Cic. de Finibb. pg. LXIV. et Heine de fontibus Tusculanarum disputationum. Vimar. 1863. pg. 3.

homines docti Neapolitani idem perspexerant, quorum nescio quis reperto libro, cum auctoris nomen deperditum esset, titulum fuisse *Φαίδρου περὶ φύσεως θεῶν* coniecerat, permotus, opinor, loco Ciceronis epistularum ad Atticum (XIII, 39), ubi Cicero libros mihi, inquit, de quibus ad te antea scripsi, velim mittas, et maxime *Φαίδρου περὶ θεῶν* (ita correxit Victorius pro *περισσων*); quam eandem sententiam postea Christianus Petersen[1]) fusius stabilire conatus est. Sed ea, quae Drummondus et Petersen ediderunt, libri satis grandis, qui *περὶ εὐσεβείας* inscriptus erat, partem fuisse verba postrema nos edocent: *ὥςτε καὶ τοῦ μέρους τούτου τῆς διαιρέσεως τῆς κατ' ἀρχὰς ἐκτεθείσης ἀποχρώντως ἐξειργασμένου καιρὸς ἂν εἴη τὸν περὶ τῆς εὐσεβείας λόγον τῆς κατ' Ἐπίκουρον αὐτὸν παραγράφειν.* Rectissime autem in altera voluminum collectione academicos Herculanenses Philodemi nomen reposuisse ut verum auctoris nomen, genus et disserendi et dicendi, quo Philodemus aliis in libris, qui melius servati et in integrum fere restituti sunt, usus est, luculentissime probat. Totum vero *περὶ εὐσεβείας* librum, adiunctis partibus laceratis quas altera Herculanensium voluminum collectio exhibuit, continentem 147 tabulas Th. Gomperz, editor recentissimus, fragmentorum vestigia secutus tres in partes divisit, quarum quidem prima quae de pietate veteres poetae et mythographi docuerunt composita invenimus, altera vero philosophorum de re eadem praecepta, tertia denique fuse lateque exposita sunt, quae Epicurus eiusque discipuli recte tradidisse viderentur. — In redintegrando autem hoc libro summam diligentiae et sagacitatis laudem meruerunt L. Spengel,[2]) Herm. Sauppe[3]), Th. Gomperz.[4])

---

[1]) Phaedri Epicurei, vulgo Anonymi Herculanensis, de natura deorum fragmentum. Ed. Christian Petersen. Hamburgi 1833.

[2]) L. Spengel, Aus den herkulanischen Rollen, Philodemus *περὶ εὐσεβείας*. München 1863.

[3]) Herm. Sauppe, commentatio de Philodemi libro, qui fuit de pietate. Gottingae 1864.

[4]) Herkulanische Studien von Theodor Gomperz. 2tes Heft. Leipzig 1866.

Sed adgrediamur ad eam rem explicandam, propter quam tota illa disputatio inita sit, satis quidem compertum habentes, quem librum Cicero ad disputationem suam adhibuerit. Etenim, sive ad ipsa verba respicimus, sive ad rerum ordinem, tam insigniter Cicero cum Philodemo congruit, ut harum rerum peritus nemo dubius haerere possit, numquid rationis inter utrumque scriptorem intersit. Quem autem consensum editores priores in Chrysippi tantum et Diogenis Babylonii opinionum narratione deprehenderunt, is hodie toto libro eruto compluribus exemplis aliis iisque luculentissimis confirmari potest Ne vero solido fundamento nostra sententia careat, omnibus omissis ambagibus, quia ad eiusmodi rerum intellectum facilius obtutu oculorum pervenimus, gravissima documenta subiciam.

Ex editione Gomperziana.	Ex editione Schoemanni.
pg 72. 7a. v. 3 sq.: *παρ' Ἀντισθένει δ' ἐν μὲν τῷ φυσικῷ λέγεται τὸ κατὰ νόμον εἶναι πολλοὺς θεοὺς πατὰ δὲ φύσιν ἕνα·*	cp. 13. §. 32: Atque etiam Antisthenes in eo libro, qui physicus inscribitur, populares deos multos, naturalem unum esse dicens . . .
pg. 72. 76. v 8 sq : *παρ' Ἀριστοτέλει δ' ἐν τῷ τρίτῳ περὶ φιλοσοφίας* —	§. 33. Aristotelesque in tertio de philosophia libro . . .
pg. 77. v 15 sq.: *Χρύσιππος . . . Δία φησὶν εἶναι τὸν ἅπαντα διοικοῦντα λόγον καὶ τὴν τοῦ ὅλου ψυχὴν καὶ τῇ τούτου μὲν ῥυμῇ* (sic Sauppe) *πάντα διαχεῖσθαι.*	cp. 15. §. 39. Ait enim vim divinam in ratione esse positam et universae naturae animo atque mente; ipsumque mundum deum dicit esse et eius animi fusionem universam.
pg. 77. v 28 sq.: *καὶ θεὸνκαὶ τὸ ἡγεμονικὸν καὶ τὴν ὅλου ψυχὴν . . . τὸν Δία καὶ τὴν κοινὴν πάντων φύσιν καὶ Εἱμαρμένην καὶ Ἀνάγκην.*	§. 39. tum eius ipsius principatum, qui in mente et ratione versetur, communemque rerum naturam; tum fatalem vim et necessitatem rerum futurarum.
pg. 80. v 9 sq.: *καὶ τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνηνκαὶ τοὺς ἄλλους ἀστέρας θεοὺς οἴεται . . . καὶ ἀνθρώπους εἰς θεούς φησι μεταβάλλειν.*	§. 39. solem, lunam, sidera universitatemque rerum, qua omnia continerentur, atque etiam homines eos, qui immortalitatem essent consecuti.

pg. 80. v 16 sq.: *ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ τάτε εἰς Ὀρφέα καὶ Μουσαῖον ἀναφερόμενα καὶ τὰ παρ' Ὁμήρῳ καὶ Ἡσιόδῳ καὶ Εὐριπίδῃ καὶ ποιηταῖς ἄλλοις πειρᾶται συνοικειοῦν ταῖς δόξαις αὐτῶν.*

§. 41. in secundo autem vult Orphei, Musaei, Hesiodi Homerique fabellas adcommodare ad ea, quae ipse libro primo de deis immortalibus dixerat.

Si quis vero vel in hisce exemplis satis iustum utriusque scriptoris consensum adparere negabit, is sane neglexit reputare, Ciceronem in aliorum copiis in rem suam convertendis haud praepeditum fuisse. Nihil igitur erat causae, cur Cicero Graeca ad verbum Latinis exprimeret; immo tota Epicureorum scriptione, quam in Philodemi quoque libro reperimus, facile commoveri potuit, ut sententias potius quam verba interpretaretur novumque colorem peregrinis induceret; namque Epicurei et Stoici frigide longasque per ambages neglectis grammaticorum et rhetorum praeceptis scribere solebant. Quanta autem interdum libertate Tullius noster materiam a Philodemo subministratam in scribendo usurpaverit, complures declarant loci alii, ubi multa, quae copiosius erant dicta, coartavit, alia suo ex ingenio addidit, alia exornavit atque illustravit. Huc accedit etiam aliud argumentum, quo extra omnem fere dubitationem nostra sententia de utriusque scriptoris ratione poni videtur. Cicero enim in philosophis recognoscendis Diogenis Babylonii aetatem non transgressus est, cum, quanti Romani scriptoris interfuerit eos Stoicos, qui summa apud Romanos florerent auctoritate, Panaetium dico et Posidonium, in quaestionem vocare nemo non videat. Nec minus urgendum est, quod hominem Epicureum Cicero fecit dicentem, cui, cum illi duo plurimum ad Stoicorum rationem inter Romanos disseminandam contulissent, iam hanc ob causam magnae cum iis erant exercendae simultates. Proinde Cicero quin illorum quoque Stoicorum opiniones traditurus fuisset, si non alius scriptoris commemoratione Diogenis Babylonii narrationem concludentis libellum secutus esset, dubitari nequit. Philodemus vero post Diogenem nullius amplius Stoici doctrinam tractavit. — His ergo omnibus argumentis diligenter examinatis neminem existimo me levitatis aut temeritatis insimulaturum esse,

quod in conscribenda philosophorum censura Ciceronem Philodemi vestigia secutum esse contendo. Attamen sinceri est animi, id quoque proferre, quod sane sententiae nostrae repugnare videtur, sed in tanto utriusque scriptoris consensu reliquo paene nullum habet pondus. Mire enim Cicero Prodici Cei in illa expositione quidem nullam fecit mentionem, sed postea §. 118 in Cottae oratione eius sententiam profert, cum apud Philodemum, siquidem quod fragmentum pg. 71. 6c. v 3 sq. legitur ad eius disciplinam est referendum, Ceus idoneum occupet locum. Cur autem Cicero ordinem ab auctore suo praescriptum neglexerit, libere fateor nullam me potuisse aptam causam indagare. Nam Heraclitus cur in Ciceronis relatione prorsus in oblivionem abierit, infra suo loco proferam causas meo quidem iudicio haud improbabiles.

B.

Ita ratione, quae inter Philodemum et Ciceronem intercedit, patefacta plures nobis suppetunt causae, quibus ad eorum narrationes inter se conferendas impellimur. Primum tamen in expositione Ciceroniana nonnulla sunt, quae quoniam gravibus librariorum mendis ita sunt deformata, ut satis distincte, quae priorum aetatum philosophi de rebus divinis iudicaverint, intellegi non possit, emendatrice manu indigeant. Itaque animo gratissimo accipienda sunt, quae fortuna ad tenebras illas discutiendas nobis suppeditat. Quo accedit, quod illam explicationem olim in iis quaestionibus, quae spectant ad mundi principia, frequenter ab historicis priscae philosophiae esse memoratam constat, ipsumque Ciceronem modo testem esse adhibitum, modo propter nimios errores etiam reprehensum. Facile autem hodie, quantum per miseram libri Philodemei condicionem licet, diiudicari potest, quam fidem Ciceroni nos habere oporteat, ac praesertim ipsine errores adscribendi sint, an Philodemo auctori. Atque haec quaestio, quae diligenter pertractetur, cum maxime nostra aetate est digna, quia valde virorum doctorum viget studium de Ciceronis laudibus quam

plurimum detrahendi. Propterea non inutile negotium me suscepturum esse opinatus sum, cum, ad emendandos explicandosque Ciceronis libros de natura deorum, quid ex Philodemi scriptione περὶ εὐσεβείας redundet, perscrutari statuerem.

Primum igitur, ne diutius in vestibulo totius disputationis moremur, de Thalete Milesio videamus. Mire autem, quae de huius opinione apud Ciceronem leguntur, cum lectio non plane integra sit, recentiores deformarunt temerariis conatibus: quamobrem, ut ratione et via procedamus, ad eam lectionem est redeundum, quam omnes codices nondum virorum doctorum sagacitate tentatam praebent. Leguntur quidem ubique haec: „Si dii possunt esse sine sensu et mente, cur aquae adiunxit, si ipsa mens constare potest vacans corpore.“ Corrupta haec esse nexus sententiarum aperte ostendit: cum enim Thales secundum Ciceronis verba enucleate dixerit, deum esse eam mentem, quae ex aqua cuncta fingat, Velleius hanc opinionem impugnaturus, nisi manifestam fraudem facere vellet, nullo modo dicere potuit „si dii possunt esse sine sensu et m e n t e.“ Certe igitur medicina huic loco adhibenda est, nec tamen talis, quales recentiores tentarunt, Baiterum dico et Schoemannum, qui non in voce „m e n t e“ depravationem inesse censuerunt, sed in membrorum comparatione.

Peropportune autem Philodemus, etiamsi in ipsa philosophorum narratione nullum exstat vestigium, medendi facultatem nobis dat. Dicit enim in brevissima philosophorum, de quibus antea egerat, recognitione, quae post Diogenis Babylonii mentionem legitur, haecce:
pg. 88. v 24 sq.: βλέπεται δ' ὅτι καὶ κατὰ τοὺς πρὸ αὐτῶν (sc. Στωικῶν) ἐκκειμένους οὐδὲ εἷς ἂν ἀδικίας ἀπειρχθείη, δεδοικὼς τοὺς οὐδ' ἐπικεινηθῆναι δυναμένους ἢ τοὺς ἐναργῶς ἀναισθήτους (sc. θεούς). Quinam vero sint ii philosophi, in quorum diis sentiendi et movendi facultas desideratur, qua destitutos Epicurei deos, cum eosdem corpore indutos esse vellent, agnoscere non potuerunt, partim manifestum est, partim facile suspicamur. Cum enim Velleius apud Ciceronem Anaxagorae doctrinam percensens ei exprobret, quod menti infinitae neque motus iunctus esse possit neque sensus omnino, quin eadem in eodem philosopho Philodemus quoque reprehenderit,

nobis dubitare non licet. Itaque ad Anaxagoram Philodemi verbra supra citata spectare nemo non intellegat. Eandem autem in reprehensionem etiam Thaletem incidisse, quoniam magna cum verisimilitudine inde potest concludi, quod eum quoque Cicero deum esse mentem docentem fecit, rectissime Krische libri laudati pg. 41 iudicavit, qui pariter ad nostrum Milesium Philodemi verba refert. Quae quidem illic levissime sunt significata, ea certe in ipsa enarratione explicatius dicta esse cum probabile sit, Cicero vestigia confutationis, quae apud Philodemum invenerat, secutus in Thaletis mente sensum et motum desiderat. Haud dubie igitur pro mente scribendum est motu, quod iam antea Lambinus Philodemi libro nondum reperto coniecerat. — Neque vero cum Schoemanno offendendum est in membrorum comparatione, qui sententia loci minus recte perspecta alterius condicionis excidisse apodosin arbitratur. Ista enim protasis: „si dii possunt esse sine sensu et motu" per exegesin quandam deinceps iteratur his verbis: „si ipsa mens constare potest vacans corpore." Omnium autem linguarum indoli atque naturae proprium est, duas condiciones uni sententiae alteram praeponere, alteram postponere, si, quae postponitur, nihil nisi alterius accuratiorem continet definitionem.

Verumtamen in alia difficultate tollenda, quae ad doctrinam ipsam pertinet, non aeque nobis prospere succedet. Nimirum Cicero Thaletem faciens id docentem, aquam esse initium rerum, deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingat, plane dubium relinquit, quam inter se mens et aqua habeant rationem. Sed cum eiusmodi commixtio utriusque elementi illi placeret, ut in aqua inesset mens tamquam vis agens (sit venia verbo), quae omnia fingeret atque formaret, Cicero, etsi mentem non plane seiungit ab aqua, quodex Velleii obiectatione intellegitur, tamen non tam arcte, quam voluit Milesius, easdem copulatas videtur putasse. Huc nobis addendum, Thaletem ipsum certe de mente non cogitasse, quippe cum nihil aliud nisi vim agentem in vera eius doctrina reperiamus. Sed, utut res se habet, Ciceronis explicationem confusam esse atque obscuram satis patet. Utri tamen haec doctrinae perturbatio imputanda sit, Ciceroni ipsi an auctori, utpote Philodemi

auxilio plane destituti diiudicare non possumus; sed tamen, ut alteram potius amplectar sententiam, illa re adducor, quod mentem pro vi agente Thaletis introducere cur sua sponte ausus sit Cicero, nulla causa probabilis detegi potest. Causam vero doctrinae depravatae si quaeris, facile inde repetere potes, quod aevi posterioris philosophi, qui prima quasi fundamenta theologiae Graecae iecerunt, cum ex Thaletis principio divinum quiddam esset eruendum, fortasse secundum Anaxagorae mentem vim agentem pro mente habentes deum esse perhibuerunt ab omni aquae coniunctione vacuum.

Quod porro Cicero, ut Anaximandri de rebus divinis opinionem illustraret, tamquam pro face candelam accendens, nativos tantum deos attulit, dum *'απείρου* illius nullam facit mentionem, iure miramur; etenim ab Aristotele, auctore harum rerum locupletissimo, edocemur, ipsi infinito, quod Milesius videtur *περιέχειν ἅπαντα καὶ πάντα κυβερνᾶν καὶ 'αθάνατόν τε εἶναι καὶ 'ανώλεθρον* dixisse, vim inesse divinam, cum omnes res et ex se gignat et moveat. Neque vero aliam Philodemum rationem instituisse in Anaximandri disciplina memoranda, quamquam nullum exstat fragmentum, in quo niti possimus, cum per se est verisimile, tum ceteri declarant post Aristotelem philosophi, qui et ipsi infiniti divinitatem silentio premunt. Illius enim principii naturam, quia mente assequi non poterant, nullo modo divinitatem intellexerunt. Philodemum tamen trita opinione reiecta rectiorem philosophi nostri intellegentiam quaesivisse, nobis aegre persuademus, quoniam homo Epicureus haud ita ultra sociorum incuriam, qui patrem suum Epicurum secuti fuga quam celerrima censebantomne doctrinae genus esse praetervehendum, evolasse putandus est. Qui igitur primi theologiae Graecanicae disciplinam condiderunt, cum divinae naturae vestigia in Anaximandri doctrina rimarentur et anquirerent, infiniti divinitatem parum intellegentes libentissime nativos illos deos adripuerunt, quos noster philosophus, ne vulgarem popularium opinionem nimis laederet, ita servavit, ut eos in mundis innumerabilibus ex ipso infinito ortis collocaret.

Licet autem iam terminos mihi concessos egressus sim, quando quidem Ciceronis relationem non percensere, sed ad Philodemi librum exigere mihi est propositum, facere tamen non

possum, quin, quae animum occuparunt, omnia effundam. Verba scilicet Ciceronis, quibus accuratius naturam deorum nativorum describit „longis intervallis orientes occidentesque", nec Schleiermacher, cuius interpretatio iam a Krische reiecta est, recte intellexit, nec Krische ipse, qui l. c. pg. 47. de ortu et occasu siderum cogitat. Ecquis vero Ciceronem tam ineptum fuisse existimet, ut viginti quattuor horarum spatium, intra quod sidera oriuntur et occidunt, intervalla longa adpellaverit? Immo verba oriendi et occidendi non proprie nostro loco posita sunt, sed translate, ita ut exstinctionis notionem contineant. Quae interpretatio optime congruit cum tota Anaximandri doctrina, cuius ipsius esse videntur, si non omnia, at certe extrema eorum, quae leguntur Simpl. Phys. fol. 6a. *ἐξ ὧν δὲ ἡ γένεσίς ἐστι τοῖς οὖσι, καὶ τὴν φθορὰν εἰς ταῦτα κατὰ τὸχρεών· διδόναι γὰρ αὐτὰ τίσινκαὶ δίκην τῆς ἀδικίας κατὰ τὴν τοῦ χρόνου τάξιν.*

Jam ad ea, quae Anaximenes de rebus divinis sensisse fertur, perlustranda transeuntes statim in expositione ineunte errorem inveni admodum turpem, quippe cum aerem, quem a philosopho ipso omnium rerum principium ac fontem intellectum esse certo scimus, Cicero totam eius doctrinam funditus pervertens gigni referat.

Cui rei quia pariter ac Philodemus nemo alius videtur lumen adferre posse, recte ad eum redimus, idque ideo animo libentissimo, quod septem fere versus huc spectantes inter rudera servati sunt. Leguntur enim pg. 65. 3d v. 1. sq: haecce:

1. . . *οἴεται*	4. . . *ἐστερημένος* . . . . .
2. *τὸν ᾿αέρα θεὸν*	5. . . *αἰσθήσεως* . . . . . .
3. . . *θεωρεῖται*	6. . . *τὰ γενόμενα* . . . . .
	7. . . *γινόμενακαὶ* . . . . .

At ut saepius fieri solet, ut exoptatissima quaeque nobis plus minusve denegentur, leviacontra ac futilia largissime praebeantur, sic de illis quoque versibus accidit. Sine ullo enim nostro commodo illa quidem verba, quae ad aeris divinitatem spectant, diligentissime fortuna servavit, sed ad illum errorem illustrandum inde nihil lucramur. Itaque ancipites haeremus, utrum Philodemo perversitatis culpa imputanda sit an Ciceroni, cuius convertendi incuriam, ut infra demonstrabimus, aliquoties

deprehendimus, quia tanto minus fortasse de recta interpretatione erat sollicitus, quanto minoris universam Epicuri sectam aestimabat. Quid enim in tanta illius scholae contemptione eum prohibere potuerit, quominus Philodemi erroribus etiam alia, quae ipse peccaverat, adiungeret? Sed utricumque haec rerum perturbatio deleganda est, unde sit derivanda, facile cognoscimus. Quod enim iam Anaximander fecerat, ut communis opinionis deos minime tolleret, sed idoneum eis locum adsignaret sidereum, eandem rationem secutus Anaximenes deos populares non sprevit, sed ex aere, unde omnes res originem trahant, oriundos esse docuit. Recte quidem Augustinus (de civit, Dei VIII.) ait: „Anaximenes omnes rerum causas infinito aeri dedit, nec deos negavit aut tacuit: non tamen ab ipsis aerem factum, sed ipsos ex aere ortos credidit.“ Philodemus igitur vel Cicero, quod philosophus ille de diis popularibus tradiderat, temere ad deum, ut ita dicam, naturalem, i. e. ad aera infinitum transtulit. — Quae alia ex fragmento nostro percipimus, quoniam nihil faciunt ad rem controversam, silentio praeteriri possunt, eis modo exceptis, quae vv. 4 et 5 leguntur: *ἐστερημένος αἰσθήσεως*. Haec enim verba indicare mihi videntur, id quod infra documentis compluribus comprobare conabor, Ciceronem iudicia confutationesque, quibus singulorum philosophorum disciplinas perstrinxit, non suo ex ingenio protulisse, sed am in Philodemi libro indicatum repperisse, quas quisque det ansas ad reprehendendum.

Sed, ut quae me pungunt cuncta effundam, quamquam ne in animi pusilli vituperationem cadam est verendum, illud non praetermittam, quod Gomperz in editione sua pg. 65. 3 d v 8. lacunam, quae post verba *τἀγενόμενα . . . γινόμενα καὶ . . .* exstat, supplendam esse coniecit per *ἀπολλυόμενα*. Equidem multo rectius scribendum censeo *τὰ ἐσόμενα*, haec verba referens ad Anaximenis sententiam, omnium rerum aera esse initium ac fontem; quam eandem sententiam apud Hippolyt. Refut. Haeres. I, 1, 7. sic expressam invenimus: *ἐξ οὗ* (sc. *ἀέρος*) *τὰ γιγνόμενα τὰ γεγονότα καὶ τὰ ἐσόμενα καὶ θεοὺς καὶ θεῖα γίγνεσθαι*

Eadem omnino fortunae invidia, quam summo iure adhuc conquesti sumus, nobis etiam subferenda est Anaxagorae doc-

trinam perlustrantibus: parum enim percipimus ex his septem versibus, qui integri fere restiterunt:

1. . . γεγονέναι τε
2. καὶ εἶναι καὶ ἔσεσ
3. θαι καὶ πάντων ἀρ
4. χειν καὶ κρατεῖν· καὶ
5. νοῦν ἄπειρα ὄντα
6. τὰ μείγμενατα σύμ
7. παντα διακοσμῆσαι.

Duae autem sunt causae, cur vehementer fontem, ex quo hauserit Cicero, desideremus: primum enim certius scire avemus de coniunctione, quam inter Anaximenem et Anaxagoram intercessisse docemur, quippe cum alterum alterius magistrum fuisse Cicero tradat. Attamen quod hac de re nobis Philodemus nihil subministrat, haud valde dolemus, quia facile, quid sit iudicandum, coniectura assequi possumus. Nam cum nullus auctorum, qui post Ciceronis aetatem floruerunt, omnes vero aevi posterioris scriptores una voce eandem rem tradant, haud est improbabile, a viris doctis, qui Alexandriae in litteras incubuerunt, hanc utriusque philosophi coniunctionem propositam esse, cui posteriores facile fidem habuerunt. Itaque non valde, opinor, a rei veritate aberrabis, si Philodemo quoque hanc opinionem vindicaveris. Deinde vero aperte Velleius Anaxagorae fraudem eo facit, quod eius sententiam oppugnans dicit: „si mentem istam quasi animal aliquod esse voluit.“ Hac de re licet dubitari queat, utri culpam delegemus, ut hanc tamen Philodemo imputemus, eo adducimur, quod supra disputatum est, in confutando etiam ac percensendo Ciceronem Philodemi vestigia secutum esse. More autem Epicureorum, quos ceterorum sententias numquam non suo modulo interpretatos esse et diiudicasse satis constat, Anaxagorae doctrinam deformavit, ut refutationem sibi expediret. Cetera tamen Ciceronis verba nullam habent difficultatem, nisi quod editores recentissimi nulla causa cogente vocem m o d u m contra omnium codicum auctoritatem in m o t u m mutarunt. Nihil vero facit ad rem, quod Schoemann, ut suam stabiliret coniecturam, protulit, posteriora nos cogere, ut etiam supra de motu aliquid dictum esse statuamus. Immo lectio Lb. Mss. retinenda est; namque non solum, ut omittam, quodiam Heindorf monuit, non eundem utrobique motum intellegi posse, plane sententiae satisfacit, verum etiam interpretationem praebet verbi *διακοσμῆσαι*, quod Cicero, ut adsolet, fu-

sius per „discriptionem et modum" reddidit. — Quod denique Philodemus tradidit, *νοῦν* (sic Gomperz lacunam supplevit) *γεγονέναι τε καὶ εἶναι καὶ ἔσεσθαι*, etsi nemo non videt, per nimiam verborum profluentiam, quae et in Philodemi ipsius et in aliorum Epicureorum scriptis reperitur, ea de mentis aeternitate dicta esse, monendum tamen est, a nullo scriptore alio hanc rem menti tribui.

Paullisper autem in Alcmaeonis Crotoniatae theologia commorati, de qua Philodemo nullnm nobis fundamentum, in quo niti firmiterque insistere possimus, praebente nihil admonuissemus, nisi Cicero siderum atque animae immortalitatem ex eorum divinitate falso repetiisset, cum philosophus ipse Aristotele auctore docuerit, animam et sidera eam ob causam esse immortalia, quod participia sint aeterni motus, iam ad Pythagoram eiusque doctrinam transeamus. Ad quem quidem quod adtinet, non maiorem metimus messem in Philodemi libro, quippe nihil inde aliud comperimus, quam aetate iam antiqua nonnullos exstitisse, qui scripta sub Pythagorae nomine circumlata ei abiudicarent. Leguntur enim pg. 66. 4b. haec: 3. . . . *Πυ*

4. *θαγόρου δ' αὐτοῦγε*	6. *εἶναι τῶν ἀναφε-*
5. *οὐδέν φασί τινες*	7. *ρομένων παρὰ.*

De discrepantiis tamen, quas inter veram illius doctrinam et Ciceronis expositionem invenimus, rursus nihil cognoscimus. Primum enim Cicero haud leviter immutat Pythagorae eiusque sectatorum sententiam, animum (sc. deum) per naturam rerum omnem intentum et commeantem esse dicens, cum Aristoteles, testis hac in re locupletissimus, Pythagoreos hoc tantum docuisse tradat, ex igne centrali calorem vimque vitalem per mundum emanasse. Multo vero manifestior inde adparet depravatio, quod Cicero deinceps ex illo animo nostros animos carpi ait, quae sententia prorsus redolet Stoicorum animum mundanum, etenim de vera Pythagoreorum doctrina Aristoteles alia rettulit, siquidem *ἔφασαν γάρ*, inquit, *τινες αὐτῶν τὴν ψυχὴν εἶναι τὰ ἐν τῷ ἀέρι ξύσματα, οἱ δὲ τὸ ταῦτα κινοῦν*, animorum ex igne centrali oriundorum plane ignarus. Attamen propter has mutationes nemo nec Ciceronem nec Philodemum reprehendet, qui secum reputaverit, neutrum ex fonte genuino potuisse hau-

rire, sed utrumque ab aliis doctrinam valde iam variatam, et cum aliorum, praesertim Stoicorum, placitis commistam accepisse.

Venio nunc ad Xenophanem, quem, etsi ne una quidem litterula de huius opinione e cineribus in lucem retracta est, idcirco tamen non silentio praetermittendum existimavi, quod nusquam alibi Ciceronem Graeci sermonis interpretem tam aperte deprehendimus. Quo enim modo idem si quis alius orationis elegantissimae peritus tam contorte et obscure dixisset, nisi aut nimia vertendi difficultate aut tanta verborum obscuritate, ut ea recte percipere nequiret, prohibitus esset? Verba enim haec sunt: „tum Xenophanes, qui mente adiuncta omne praeterea quod esset infinitum deum voluit esse.“ Quod enuntiatum, quoquo modo id versamus, non aliam continet sententiam, quam quae Velleii quoque refutatione indicatur, qui hoc loco non spernendus est, quoniam Tullianam narrationem, non veram Xenophanis opinionem intellegere cupimus. Cum duas autem Epicureus unius eiusdemque rei qualitates (sic enim *ποιότητας* vertere mihi liceat Cicerone praeeunte) percenseat, et infinitatem et vim mentalem, dubitari non potest, quin Cicero Philodemo auctore dicere voluit, omne (*τὸ πᾶν*), quod infinitum esset menteque praeditum, secundum Xenophanem esse deum. Neque vero non congruit cum Colophonio hic pantheismus, quem testes locupletissimi, quamquam ipse eundem nusquam distincte professus est, ei tribuerunt. Manifesto tamen Cicero peccavit, omne (*τὸ πᾶν*) adpellans infinitum, quoniam Xenophanem certo scimus omne finiti et infiniti discrimen ab Uno suo arcuisse. Sed ne nimis acerbe Ciceronem vel Philodemum eam ob causam reprehendamus, cavendum est, quod omnes post Theophrastum scriptores (cf. Krische pg. 91) captiosa sane ratiocinatione ex aeternitate, quippe quae nec initium haberet nec finem, repetierunt infinitatem.

Praéterea, quae de Parmenide Cicero narrat, nobis examinanda sunt. Omisso eo, quod facilem habet explicationem, entis (*οντος*), in quo tota doctrina quasi in cardine vertitur, nullam fieri mentionem — quia enim viri docti divinum aliquid rimantes nihil eius generis in carminis et doctrinae parte priore invenerant, statim ad alteram confugerunt, qua mundi ad-

spectabilis ordinem et ornatum exposuerat — iam in initio relationis Ciceronem videmus omnia turbantem, quippe ait: „Stephanem adpellat, continente ardore lucis orbem, qui cingit caelum: quem adpellat deum.“ Sic enim omnium huius doctrinae testimoniis diligenter perpensis Parmenidem docuisse adparet: mundum esse multos orbes circumflexos et ita alternantes, ut alter igne seu luce, alter ex nocte constet et inter hos alii sint ex luce et nocte mixti. Extimum, quod omnes complectitur, esse firmum et infra illud orbem igneum; intimum, quod intra omnes orbes sit, item firmum et circa illud rursus orbem igneum. Orbem autem in medio totius mundi positum omnibus existere causam omnis motus atque generationis, quam adpellari Deam et Gubernatricem et Vestam mundi. (cf. H. Ritter et L. Preller, Historia philosophiae Graecae et Romanae ex fontium locis contexta. ed. IV. Gothae 1869). Quam ad doctrinam si Ciceronis explicationem exigimus, plane perverse Dei sedem in extimo orbe igneo collocatam invenimus. Cuius erroris causam, cum omni auxilio Philodemeo destituti simus, aliunde repetere debemus. Krische igitur, ut mihi quidem videtur, nimis artificiosam protulit explanationem, utpote qui per enuntiationem relativam „qui cingit caelum“ iam non quod Parmenidi sed Ciceroni ipsi placuerit, referri iudicet, qui nihil de stephanes situ inveniens de suo hanc enarrationem adiecisset. Nimium certe tribuit indicativo, quoniam in nullo genere frequentius a librariis peccatum est, quam in indicativi cum coniunctivo confusione. Huc accedit, quod totus locus isti interpretationi repugnat, quem etiam Krische ita intellegit, ut verba „continente ardore lucis orbem“ explicandi causa adposita esse concedat; quapropter maxime consentaneum est, enuntiationem quoque relativam, quae illis verbis adnexa est, eiusdem explicationis partem putare. Erravit ergo Cicero vel potius Philodemus, cui ut viro Epicureo illa stephane, sive media erat sive extima, certe aeque commenticia videbatur.

Quod ad alteram narrationis Ciceronianae partem adtinet, idoneam nobis materiam Philodemus praebet, namque pg. 68. 5 a. hi septem versus ἀδέσποτοι, quos Sauppe rectissime adiudicavit Parmenidi, leguntur: τόν . . . .

2. τε πρῶτον θεὸν ἄ- 5. πὸ τούτου τὰ μὲν

3. ψυχον ποιεῖν τούς — 6. αὐτὰ τοῖς πάθεσιν
4. τε γεννωμένους ὑ- — 7. τοῖς περὶ ἄνθρωπον . .

Quibus ex verbis manifesto recognoscimus Velleii iudicium, qui quemquam in Parmenidis deo sensum suspicari posse negat, et discordiam ait ac cupiditatem ceteraque eiusdem generis a Parmenide ad deum revocari. Ad nostrum autem philosophum, nec ut alii opinati sunt, ad Empedoclem fragmentum illud esse referendum haud aegre nobis persuadebimus, si utriusque disciplinam diligentius examinamus. Nimirum secundum illum (cf. fragm. v. 132. πρώτιστον μὲν ἔρωτα θεῶν μητίσατο (sc. δαίμων) παντων) dea summa, quam daemonem nuncupat, primum amorem procreat, quo adiutore deinde et ceteri dii nascuntur et duorum elementorum fiunt mixtiones, sed apud Empedoclem iam ab initio amor et discordia exstant tam aetate quam potentia pares, qui elementorum mixtione et dissipatione rerum universitatem conficiunt. Diluitur igitur opinio et eorum, qui Ciceronem ipsum errore turpissimo lapsum de Parmenide narrasse arbitrati sunt, quae Empedocli potius vindicanda essent, aliorumque minus audacium, qui librariis exprobrarunt, quod totam sententiam „quippe qui — vel vetustate delentur" ad doctrinam Agrigentini pertinentem neglegentissime Parmenidi tribuissent. —

Neque minoris aestimandum est aliud commodum ex fragmento nostro redundans: quod enim Philodemus θεὸν vocat ἄψυχον, quae nullo pacto Parmenidis ipsius vox est, sed Epicurei amorem deum non agnoscentis, certissimo est documento, Ciceronem in recognoscendo confutandoque, uti supra iam comprobare studui, auctoris sui vestigia pressisse.

Empedoclis vero sententiam percensere nihil opus est, quod nec Cicero in expositione brevissima peccasse videtur, neque quidquam de eo in Philodemi fragmentis servatum est.

Protagoram contra, de quo narratio Philodemea ipsa omnino silet, idcirco valere non iubebimus, quod alio fragmentorum loco satis luculenta exstant vestigia, ex quibus quin fructum quendam, quantuluscumque erit, percepturi simus, equidem non dubito. Sed ut recte atque ordine procedamus, a Cicerone ordiamur necesse est. Is igitur ubicumque de Protagora alibi

disputat, hoc tantum ei non liquisse, sintne dii necne, tradens, nostro tamen loco doctrinam alio interrogationis membro augens etiam de eorum qualitate eundem incertum fuisse narrat. Ait enim §. 29: Nec vero Protagoras, qui sese negat omnino de diis habere, quod liqueat, sint, non sint, qualesve sint, quidquam videtur de natura deorum suspicari. Contra I, 23, 63, ut etiam locos alios subiciam, invenimus haec: Nam Abderites quidem Protagoras, sophistes temporibus illis vel maximus, cum in principio libri sui sic posuisset, de divis neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere etc. et I, 42, 117: Ego nec Protagoram (censeo superstitiosum esse potuisse): cui neutrum liquerit, nec esse deos, nec non esse. Quae relationum discrepantia inde utique repetenda est, quod Cicero alium alio loco auctorem secutus est. Quin vero nostrae narrationis materiam ei Philodemus subministraverit, non est cur addubitemus, si modo vestigia supra indicata diligenter persequimur. Sub finem enim totius disputationis, postquam Stoicos demonstravit non solum re vera deos sustulisse, sed et hos introduxisse deos, quos nemo metuat et veneretur, Philodemus cuncta opprobria quam brevissime comprehendit, ad philosophos simul respiciens, quorum sententias ante Stoicorum doctrinam exposuerat. Eadem igitur in parte (pg. 89. v. 1 sq.) haec legimus: ἢ κατὰ τοὺς ἄγνωστον εἴ τινές εἰσι θεοὶ λέγοντας, ἢ ποῖοί τινές εἰσιν (sc. neminem ab iniustitia deterreri). Quibus verbis Scepticos perstringi hodie toto περὶ εὐσεβείας libro reperto nemo Petersenio soncedet, quia eorum nusquam mentio facta est; omnes autem Krischeo album calculum adicient, quod plurali numero non offensus, qui in tali verborum comprehensione non nimis urgendus est, Protagoram tangi iudicavit. Manifestum igitur rerum consensum, utroque scriptore etiam de qualitate deorum narrante, cum nemo non cernat, novum hoc argumentum summo iure aliis adnumeramus, quibus adhuc sententiam nostram de Philodemi Ciceronisque necessitudine fulcire studuimus. Ipsum tamen additamentum ideo genuina doctrinae pars haberi nequit, quod neque quisquam eorum, qui ante Scepticorum aetatem floruerunt, hac de re rettulit — Timo enim hanc rem primus conmemorat — nec Cicero ipse I, 23, 63, ubi aperte ad Protagorae librum respicit.

Proxime sequitur Democritus, de quo quidem in fragmentis nostris pg. 69. 5d. vv. 7—11. quinque versus integri inveniuntur, qui perspicue ex iis sunt, quae Philodemus de Abderite exposuerat, libere tamen fateor equidem me nullum doctrinae Democriteae vestigium in his verbis indagare potuisse, ita ut, si quid a Cicerone ad intellectum obscurius traditum sit, nullum hinc adferri possit lumen[1]. Haec scilicet apud Philodemum legimus: . . . *δι-*

7. *ὁ δὴ καὶ τὸ ἐξεργα-*
8. *ζόμενον γνόντας*
9. *σέβεσθαι, οὐ φαίνε-*
10. *ται δ' ἐμοὶ Δημόκρι-*
11. *τος ὥσπερ ἔνιοι τὸν* —

Optime igitur nobis accidit doctrinam ipsam examinantibus, ut in nullam fere difficultatem incidamus, nisi quod eo offendimur, quod Democritus intellegentiam scientiamque nostram in deorum numerum refert. Tametsi enim hanc sententiam ab aliis quoque scriptoribus traditam cum tota auctoris ratione prorsus convenire concedamus necesse est, nobiscum reputantes, animam nostram eatenus divinam dici posse, quatenus ex atomis constet igneis, tamen, cur fortunae invidiam conqueramur, nihilominus habemus, namque dictio in huius doctrinae expositione tam obscura est et contorta, ut libentissime Philodemi ipsius verba inspiceremus. Vide modo, quam depravate Cicero dixerit „imagines earumque circuitus“ pro „imagines circumeuntes“ et „scientiam intellegentiamque nostram“ pro „animum nostrum scientem et intellegentem.“ Cuius distortionis culpam non linguae solum quodammodo inopi necdum ad res subtiliores exprimendas subactae, sed etiam ipsius Graeci auctoris orationi adsignandam esse, facile intellegimus, praesertim si perpendimus, quanta semper fuerit Epicuro eiusque sectatoribus cura, utderiderent Democriti doctrinam, ne ulla necessitudo, quam cum eo utique habebant, intercedere videretur.

Jam nobis, antequam ad Diogenem Apolloniaten transgrediamur, qui apud Ciceronem statim excipit Democritum, Hera-

---

[1]) Aegre carui Gomperzii tertia Herculan. studiorum parte iam ante hos quinque annos promissa, quae commentarium criticum et exegeticum in haec fragmenta compositum continebit.

cliti mentio interponenda est, quem Cicero plane silentio praeteriit. Quod silentium eo magis admiramur, quo evidentiora in Philodemi libro vestigia doctrinae Heracliteae extant, ut Ciceronem hic auctorem suum deseruisse in aperto sit. Invenimus enim pg. 70. 6a. vv. 3 et 4.: *κεραυνὸς παντ' οἰακίζει*, quae verba non tantum recte ad Ephesium referuntur, sed etiam ipsius propria esse videntur, siquidem plane eadem apud Hippolyt. Ref. Haeres. IX, 10, ordine dumtaxat immutato, legimus: *τὰ δὲ πάντα οἰακίζει κεραυνός*. Ignis ille sempiternus intellegendus est, qui Heraclito videbatur summa vis caelestis et divina esse, per omnia et penetrans et vigens, suprema denique omnis vitae, motus, intellectus causa. Sed ad Ciceronem redeamus atque causam circumspiciamus Tulliani silentii, quia haec res sane idonea est, quae nostram de fonte Ciceronis latam sententiam pervertens eorum confirmet iudicium, qui Ciceronem non Philodemi, sed cuiusvis alius scriptoris librum ad philosophorum disciplinas adumbrandas adhibuisse volunt, quippe cui nequaquam licuerit suo arbitrio Heraclitum, Graecae philosophiae columen clarissimum, oblivioni dare. Sane non magnam probabilitatis speciem prae se fert eorum huius difficultatis explicatio, qui Ciceronem propterea Ephesium praetermisisse existimant, quod postea Stoicorum theologiam, qui doctrinam Heracliteam modice mutatam adoptarunt (cf. D. L. IX, 5.), expositurus erat. Neque quam Krische l. c. pg. 58 tulit sententiam adprobamus, Ciceronem, cum in Heraclitum illa succedendi ratio, qua ceteros philosophos Jonicos ita inter se iunxerat, ut alter ab altero disciplinam scholamque accepisse traderetur, non caderet, eum in oblivionem maluisse adducere, quam in illis numerare, quos nonnulli (uti D. L. VIII, 91) vocarunt *τοὺς σποράδην*. Etsi enim Philodemus, quantum e fragmentis colligere licet, Heraclitum non scholae cuipiam, sed *τοῖς σποράδην φιλοσόφοις* adnummerasse videtur, Cicero tamen eo minus habebat causae, cur praescriptum ordinem desereret, quo magis Epicurei, quem hic disserentem fecit, doctrinam despiciebat, praesertim cum manifestas rerum depravationes tollere nusquam alibi ei curae fuissset. Quid, quod tantum aberat, ut Cicero Heraclitum magni aestimaret, ut, quod facile ex iis percipimus, quaealiis locis de eo disputavit, perspicua animi infensi

vestigia proderet? Ubique enim eundem talem declaravit, qui, ne quis se intellegeret, consulto opinionem suam occultaverit, quod iudicium certe non ex ipsa libri eius lectione repetiit. Veluti scripsit de N. D. I, 26, 74.: nec consulto dicis occulte, tamquam Heraclitus de Div. II, 64, 133: valde Heraclitus obscurus; de N. D. III, 14. 35: quem ipsum (Heraclitum) non omnes interpretantur uno modo; qui quoniam quid diceret, intellegi noluit, omittamus; de Fin. II, 5, 15: quod (sc. non intellegi) duobis modus sine reprehensione fit, si aut de industria facias, ut Heraclitus, cognomento qui *σκοτεινὸς* perhibetur, quia de natura nimis obscure memoravit etc. Etenim animum Heraclito infensum Tullio tribuens loco ex libro de Finibb. secundo adlato non commoveor, ut de sententia mea decedam, quoniam equidem adsequi non possum, qua quis ratione hominem consulto omnia, quae sentit, occultantem ob eamque causam parum intellegendum, qua quis ratione, inquam, eum aestimare possit. Itaque non valde a veritate aberrare mihi videor, si Heraclitum de industria a Cicerone in oblivionem adductum esse statuo, ut hominem indignum, qui diligentiam nostram et sagacitatem excitet. Qua eadem fere poena nostratium quidam Persium poetam adfecit, qui multo oleo et opera in satiris eius perspiciendis perdito, dum, qui non vult intellegi, ait, non debet legi, indignabundus longe eum abiecit.

Hac autem digressione, ut opinor, necessaria facta, seriem a Cicerone institutam denuo persequentes in Diogenis Apolloniatae sententia consideranda paullisper commoremur. Facile enim ex Ciceronis verbis, eum aere deo usum esse tradentis' talem intellegimus deum, qui supra rerum universitatem versans ab eaque seiunctus ex materia omnia procreet, quippe cum, ut Krische l. c. pg. 177. recte monuit, nostro philosopho aer ipse materia fuerit divinae rationis compos, ex qua res omnes oriantur. Sed hanc ambiguam doctrinae Diogenis enarrationem ne Ciceroni soli exprobremus, libro *περὶ εὐσεβείας* prohibemur, ex quo huius ambiguitatis auctorem Philodemum fuisse clare elucet. Satis quidem magnum optimeque servatum fragmentum habemus, quod, quia ob causam etiam aliam memorabile videtur, integrum adponere non alienum iudicavi. Verba haec sunt pg. 70. 6b.: *Διογέ-*

3. νης ἐπαινεῖ τὸν Ὅ-	7. τὸν ἀέρα γὰρ αὐτὸν
4. μηρον ως οὐ μυθικῶς	8. Δία νομίζεινφησὶν
5. ἀλλ' ἀληθῶς ὑπὲρ τοῦ	9. 'επειδὴ πᾶν εἰδέ-
6. θείου διειλεγμένον.	10. ναι τὸν Δίαλέγει καὶ.

Summo iure miramur, quod Homerus aerem Jovem censuisse dicitur, cum neque in eiusdem carminibus, quod sciam, neque in eorum scholiis ullum huius opinonis vestigium exstet. De vera igitur horum verborum significatione meditans in haud improbabilem videor mihi coniecturam incidisse, quam si proferam, me non ultra huius disputationis terminos exspatiaturum esse duxi, praesertim cum Gomperzii commentarius nondum sit editus. Quod enim alii veteres philosophi, ne ullam popularibus suis suspicionum offensionumque ansam darent, facere soliti sunt, ut opinioni communi quam maxime servirent, eandem rationem Diogenem quoque iniisse haud aegre nobis persuademus. Itaque, ne populi invidiam subiret, maxime novitatem doctrinae suae minutum iri opinatus, si locupletem eius auctorem protulisset, Homeri, qui apud omnes plurimum valebat, opinionem theologicam tam solerter interpretatus est, ut hicce veterrimus illius doctrinae magister haberi posset. Neque tamen ad eiusmodi ratiocinationem conficiendam viam tam perversam et captiosam iniit, quam apud Philodemum reperimus, cuius conclusio sic fere procedere videtur: aer Diogenis omnium rerum est intellegens; atqui Homerus Jovem omnia scire declarat: Juppiter ergo Homeri aer putandus est. Sed hanc absurdam conclusionem non dubie vel Philodemo ipsi, vel, cum hic quoque *σύνταγμα* quoddam videatur adhibuisse, alii Epicureo adsignare debemus, qui solita sua levitate Diogenis argumentationem in illam summam contraxerit.

Ne tamen Ciceronem ducem temere sequamur, nova utriusque scriptoris discrepantia prohibemur: Philodemo enim statim a Diogeue ad Prodicum sophistam transgresso Tullius noster, qui Platonem fecit proximum, illum Ceum in tota adumbratione memoravit nusquam. Sine dubio scilicet Sauppe recte ad Prodicum rettulit illud fragmentum, quod nullo auctoris nomine indicato pg. 71· exstat:

3 . . . τοὺς μὲνὑπ'	7. ναι, τοὺς δε καρπούς
4. (ρ)ἀνθρώπων νομιζο-	8. καὶ πάνθ' ὅλως τὰ πρή-

5. *μένους θεοὺς οὔτ᾽ εἰ-* 9. *ςιμα πρὸς τὸν βίον*
6. *ναί φησιν οὔτ᾽ εἰδέ.* 10. *τοὺς ἀρχαίους.* . . . .

Quae omnia cum Prodici doctrina perbene convenire, ex duobus Sexti Empirici locis patet, ubi eadem fere sententia traditur: adv. Phys. I. §. 18: *Πρόδικος δὲ ὁ Κεῖος ἥλιόν φησι καὶ σελήνην καὶ ποταμοὺς καὶ κρήνας καὶ καθόλου πάντα τὰ ὠφελοῦντα τὸν βίον ἡμῶν οἱ παλαιοὶ θεοὺς ἐνόμισαν διὰ τὴν ἀπ᾽ αὐτῶν ὠφέλειαν, καθάπερ Αἰγύπτιοι τὸν Νεῖλον. Καὶ διὰ τοῦτο τὸν μὲν ἄρτον Δήμητραν κληθῆναι, τὸν δὲ οἶνον Διόνυσον, τὸ δὲ πῦρ Ἥφαιστον, καὶ ἤδη τῶν εὐχρηστούντων ἕκαστον*, et ibid. §. 52. *Πρόδικος δὲ τὸ ὀφελοῦν τὸν βίον ὑπειλῆφθαι θεόν, ὡς ἥλιον καὶ σελήνην καὶ ποταμοὺς καὶ λειμῶνας καὶ καρποὺς καὶ πᾶν τὸ τοιουτῶδες.* Atque Cicero etiam hanc opinionem rettulit nostri libri primi §. 118, ubi Cottam de Prodico secundum eundem, nisi fallor, Philodemi locum haec fecit dicentem: „Quid? Prodicus Ceus, qui ea, quae prodessent hominum vitae, deorum in numero habita esse dixit, quam tandem religionem reliquit?“ Cur vero de via monstrata ita discesserit, ut Cei doctrinam alto premeret silentio, nosmet ipsi, quia apud ipsum huius rei nullum comparet indicium, causam indagare debemus. Sed diligenter mihi inquirenti non dissimulaverim nullam adeo sese insinuasse coniecturam, ut eam cum aliqua veritatis specie proferre possim. Nam illa suspicio, Ciceronem, quod nostro loco eos dumtaxat philosophos recognoscere voluerit, qui, qualiscumque esset, aliquam tamen de diis habuissent opinionem, neque vero qui deos aut omnino sustulissent, aut in res naturales dissolvissent, propterea nullam Prodici mentionem iniecisse, per se est prorsus improbabilis. Quid? nonne memoravit Protagoram, quem ipse postea §. 118. in numerum eorum adscribit, qui religionem, quae deorum cultu pio, ut ait, continetur, plane sustulerunt? Stoicos vero symbolica eos quidem doctrina de diis fabulas poeticas in sensus allegoricos detorquentes, dignos putavit, de quibus copiose dissereret. Non amplius igitur, quoniam explicationem nulli dubitationi obnoxiam reperire nequimus, eruditione aut ingenio abutamur, ut incerta commenta pro re explorata expromere conemur, praesertim cum, si quidquam est, in quo ars illa nesciendi locum habeat, maxime in re tali sit tenenda. Ne tamen antea Pro-

dicum dimittam, quam omnia in medium protulerim, illud utique memoratu dignum addam, quod Welckeri sententia (cf. Kleine Schriften pg. 521.) nullo pacto probari potest, qui nescio qua re commotus existimare videtur, Prodicum a multis diis popularibus unum seiunxisse naturalem et verum deum.

Jam transgrediamur ad philosophos Socroticos, qui sive ad res narratas respicimus, sive ad ordinem, quo sese excipiunt, diligentem requirunt disquisitionem. Ut autem primum de scholae parente dicamus, vehementer mirandum videtur, quod Cicero, quem ex libr. de Oratore III, 16, 61. scimus non minus quam nos tribuere ponderis Socrati in philosophia, cum plures inde, quod ex permultis illius et quoquoversus diffusis disputationibus alius aliud adprehenderit, profectos et quasi familias inter se dissentientes proseminatas esse referat: vehementer, inquam, mirandum videtur, quod Cicero nostro loco, ubi si usquam de Socratis auctoritate ac dignitate expohen di tempus erat, non prorsus quidem eum omittit, sed tam parvi tamen ducere videtur, ut non solum Xenophontem, quem de eo referentem fecit, post Platonem introducat, verum etiam omnia, quae proferuntur, potius videantur Xenophontis quam Socratis esse. Accedit, quod Cicero alibi (cf. de Oratore III. 16, 60, et Acad. I. 4, 16,) aperte indicavit, se Socratem verius in Platonis scriptis expressum putare, cum contra hoc loco Xenophon Socratica tradat. Quae cuncta, quominus Ciceronem sua sponte hanc rationem iniisse iudicemus, adeo nosprohibent, ut eam facile Philodemo imputemus, quamquam fragmenta nostra nullam nobis ansam dant. Cur autem vel Philodemus ipse, vel quisque ei fuit auctor, istam rationem instituerit, si quaerimus, haud difficulter non improbabilem causam invenimus, quam, quia nimis, ultra huius disputationis fines exspatiari mihi non videor, offerre non dubito. Quamvis enim magna cum pietate Socrates deos tralaticios coleret, tamen, quod de vita tantummodo et moribus solitus est quaerere omnemque de natura disputationem reiecit, quippe quae maior esset, quam ex qua ratio humana fructum posset percipere, de theologica eius sententia certi nihil constat, quippe tum plures tum unum deum esse promiscue credentis. Quam ob animi de rebus divinis incuriam non modo parum idoneus erat, cui scholae principatus traderetur, verum etiam non satis cer-

tas reprehendendi ansas praebebat Epicureo nostro, cuius maxime intererat, ut principe devicto simul ceteri eadem ex schola profecti profligarentur. Commodissimum igitur erat, Platonem principatum tenere, qui cum primus certam de summo deo eiusque adiutoribus sententiam proposuerat, tum adeo ceteros auctoritate anteibat, ut facile principis vice fungi posset.

Sed ordinis, quo apud Ciceronem Socratici sese subsequuntur, difficultatibus sublatis, si in cuiusque doctrinam inquirimus, in iis, quae de Platonis theologia Cicero refert, mirificae levitatis vel potius hebetudinis exempla manifesta invenimus. Haec tamen eiusmodi non sunt, ut Philodemi narratione, cuius ne una quidem litterula invido fato erepta est, aegrius careamus, quod, si ad res ipsas respicimus, limpidissimus nobis fons scatet, sin ad doctrinae depravationes, utri imputandae sint, Philodemo an Ciceroni, nobis vix dubitare licet. Omisso autem Timaei loco (pg. 28) indiligentius converso, ut apertissima modo exempla persequamur, quae verba in Legibus (lib. VII, pg. 821. A.) exstare traduntur, ea sane bilem nostram non possunt non movere, praesertim cum hac narratione omnis Platonis inconstantiae crimen nitatur. Quae enim legimus: *τὸν μέγιστον θεὸν καὶ ὅλον τὸν κόσμον φαμὲν οὔτε ζητεῖν δεῖν κ. τ. λ.*, ea non ad Platonem ipsum, sed ad perversam aequalium opinionem referenda esse, facile intelleget, quicumque totius loci sententiam perceperit, inprimis quae proxime sequuntur considerans: *τὸ δὲ ἔοικε πᾶν τούτου τοὐναντίον γιγνόμενον ὀρθῶς ἂν γίγνεσθαι.*

Perverse autem Plato apud Ciceronem narratur, in legum libris, quid sit omnino deus, anquiri oportere non censuisse.

Luculentum profecto summae levitatis, ne dicam fraudis exemplum, quod nimium Epicureorum scholam redolet, quam ut Ciceroni vitio dari queat, qui, licet passim scribendi festinatione obcaecatus rem neglegentius tractaverit, neutiquam tamen tam manifestae rerum perturbationis insimulari potest. Quominus vero temere Philodemum criminer, a Cicerone prohibeor, qui eum hominem humanum, non philosophia solum, sed etiam litteris perpolitum, cum optimum virum, tum doctissimum hominem fuisse scripsit (cf. or. in Pison. §. 68. 70., de Finibb. II, §. 119), praesertim cum Gadarensem ipsum theologiae Grae-

canicae summarium composuisse non existimem. Optime autem illa enarrationis levitas in quemvis alium Epicureum cadit, qui pro propria scholae suae incuria rerum ordinem cohaerentiamque nihil curans ex variis scriptoribus, quae maxime idonea viderentur, neglegenter excerpsit. Verum tamen, utut res se habet, nec Philodemus nec Cicero levitatis crimen effugere potest, quod ne iis quidem libris, quos certe in promptu habebant, inspectis bonam fidem auctori suo habuerunt.

At vero verba proxime insequentia, ut ad Ciceronem redeamus, „quod vero sine corpore ullo deum vult esse, ut Graeci dicunt *ἀσώματον*," voce *ἀσώματον* extra omnem controversiam ponunt, Tullium non ipsa Platonis scripta ad eius doctrinam ädumbrandam in usum vocasse. Quamvis enim haec natura deo Platonico proprie conveniat, nusquam tamen Plato ipse illam vocem usurpavit, sed posterioris demum aevi scriptores, ut Diog. L. (III, 77; V, 32), Galenus (hist. philos. c. 5), Origenes (Philos. c. 19); neque Ciceronem sua sponte hoc vocabulum Graecum relationi suae inseruisse credibile est. Quod in extrema denique expositionis parte idem narrat, et mundum deum esse et caelum et astra et terram et animos et eos, quos maiorum institutis accepimus, id propterea reprehendendum est, quia res enumeratae nec per se sunt dei, nec eundem quam summus deus occupant locum, sed huius (*δημιουργοῦ*) voluntate dei exstiterunt.

Venimus nunc ad Socratem Xenophonteum. Quem Cicero eadem fere, quae Plato modo docuerat, disputantem fecit, cum, ut supra demonstrare studuimus, nulla ei cum physiologia fuerit ratio; sed hae duae sententiae, quamvis inter se discrepare videantur, optime tamen altera cum altera conveniunt. Namque non omnino a naturae contemplatione animum revocavit, sed tantum in eam curae impendit, quantum eandem conducere opinabatur ad id, quod summum sibi proposuerat, ut ingenium moresque hominum emendaret. Itaque compluribus quidem locis disputat de deis, de animis, de natura denique, sed ita modo, ut prolata nec interiorem prodant cogitationem, nec semper inter se congruant. Sed, ut tandem ipsam Ciceronis narrationem percenseamus, nonnulla sunt, in quibus paullisper commorari cogimur. Pars prima hanc ob causam valde memorabilis est, quod cum Xenophontis ipsius verbis tam

Philodemi quam Ciceronis conferri possunt; nam Epicureus ex fusiore disputatione, quae Memorab. IV, 3 §§. 13 et 14 continetur, hunc locum in rem suam manifesto convertit:

Ὅτι δὲ ἀληθῆ λέγω καὶ σὺ γνώσῃ, ἂν μὴ αναμένῃς, ἕως ἂν τὰς μορφὰς τῶν θεῶν ἴδῃς, αλλ' ἐξαρκῇ σοι τὰ ἔργα αὐτῶν ὁρῶντι σέβεσθαι καὶ τιμᾶν τοὺς θεούς Quam enuntiationem Philodemus, quamquam in fragmentis ipsis ne dimidiatae quidem partes versuum singulorum exstant, hisce verbis expressit pg. 71

2. ἐν τοῖς Ξενοφῶντος	5. σιν τοῦ θεοῦ τὴν
3. ἀπομνημονεύμα[ι]-	6. μορφὴν ἀλλὰ τἄργα
4. σιν οὐχ ὁρᾶσθαι φη-	7. . . . . . ὅμως εἶναι,

cum apud Ciceronem Socrates sententia leviter immutata disputet, formam dei quaeri non oportere. Quae immutatio Ciceroni, si quidem in eum est conferenda, — nam Philodemum ipsum ex Xenophontis verbis hanc rem in posterioribus, quae deperdita sunt, collegisse haud improbabile est — crimini verti non potest, quippe quae verborum, non sententiae sit. Neque aliud ex ea cognoscimus, nisi quod iam supra exposuimus, Ciceronem non interpretis modo munere functum esse, sedetiam e fontibus suopte iudicio arbitrioque hausisse. — Quod vero Cicero addit, eundem (Socratem) et solem et animum deum dicere, id novo est documento, quam parum fideliter Philodemus, vel potius eius auctor, aliorum copias servaverit. Namque Memorab. loco supra adlato Socrates solis quidem exemplum adhibet ad declarandum, multa esse praeclara et efficacia, quae oculis cerni non possint, animo autem *τοῦ θείου μετέχειν* tribuit, neque hunc neque illum deum adgnoscens.

Epicureus autem cum recens a Platonis disciplina ad Socratem degrederetur, eo facilius in copiis Xenephontis in capita contrahendis peccare poterat, quo magis placita magistri cum discipuli convenire exspectandum erat. Quae deinceps apud Ciceronem leguntur, Socratem tum unum tum plures deos esse docuisse, eis ut fidem abrogemus, a Krischeo non adducimur, qui pg. 220 sq. locum Xenophonteum, ad quem illam sententiam refero, nimia, opinor, sagacitate usus subditicium esse suspicatus est. Sed, utut se hoc habet, ad nostram certe rem

nihil facit, quia, quod Krische ipse concedit, iam Ciceronis auctorem apud Xenophontem illum locum legisse clare adparet.

Sin quis etiam argumentis adhuc prolatis in sententiam nostram, quam de Ciceronis auctore proposuimus, discedere dubitaverit, ei omnem scrupulum illa evellant necesse est, quae de Antisthene apud Philodemum leguntur pg. 72. 7a.:

3. . . . *παρ' Ἀντις-*
4. *θένει δ ἐν μὲν ἴῳ*
5. *φυσικῷ λέγεται τὸ.*
6. *κατὰ νόμον εἶναι*
7. *πολλοὺς θεοὺς, κα-*
8. *τὰ δὲ φύσιν ἕνα.*

Haec enim ad verbum a Cicerone translata esse omnes vident, nec ullus alius historiae philosophiae scriptorum, qui omnes unum deum Cynico tribuunt, aut talem eius sententiam tradidit, aut librum, qui *Φυσικος* inscribitur, commemoravit, excepto Lactantio (de ira Dei c. II.), qui totus ex Cicerone pendet. Iamdoctrinam ipsam contemplans Zellerum laudare non possum, qui II, pg. 235 eum multos humanaque forma praeditos deos omnino stutulisse censet, nimiam, opinor, fidem Velleio, Epicureo illi quidem tribuens, qui vim et naturam deorum ab Antisthene sublatam iudicat. Nobiscum enim reputandum est, Epicureos cum Stoicis internecivum odium exercentes non solum eam ob rem Antisthenem facile persequi potuisse, quod illi quasi iure hereditario placita a Cyrenaicis acceperant, sed etiam, quod Antisthenes ipse videtur Hedonicos vellicasse, utpote dicens: *μανείην μᾶλλον ἢ ἡσθείην*, ita ut aequum de eo iudicium fecisse non sint putandi. Multo maiorem igitur probabilitatis speciem haec opinio prae se ferre videatur, Antisthenem, cuius non modo summus erga magistrum amor saepius commemoratur (cf. Xenoph. Sympos. VIII, 4; Memorab. III, 11, 17; Plat. Phaed. pg. 59), sed etiam patrocinium Socratis impietatis accusati cognitum habemus (cf. Diog. L. II, 43), etiam in theologia totam magistri sententiam amplexum esse, ut unum deum esse putaret ceterosque eius ministros perhiberet.

Antisthene autem dimisso Ciceronem, qui subinde ad Speusippnm transit, ducem sequentes magna adficimur admiratione, quod Aristippus, qui quidem non minore quam Cynicus ille auctoritate in philosophia florebat, silentio praetermittitur. Huius tamen silentii causam non tam inde repetere licet, quod

omnen ille physicam de medio sustulit, quam ex necessitudine qua cum Cyrenaicis erat coniunctus. Illi enim, inprimis autem Theodorus, omnen de diis opinionem sustulerant, Epicurus autem, etsi deos, procul eos quidem a mundi administratione rerumque humanarum procuratione, in intermundiis collocans servavit, recte tamen e Cyrenaicorum schola evasisse credebatur; unde consequens erat, illum Epicureum, cui hanc adumbrationem debemus, neque Aristippum nec Cyrenaicos reprehendere potuisse, quin in ipsum magistrum suspicionem commoveret. Caute igitur omnem, quae illius necessitudinis memoriam renovare posset, occasionem effugiens, ne in suos ipsos armaret inimicos non iniuria Epicurum accusantes, quod omnem religionem, quae quidem vere sic dicenda esset, funditus sustulisset et ex hominum animis evellisset, consulto Aristippum oblivione obruit.

Nunc vero Speusippum, qui Platoni avunculo in academia successit, in quaestionem vocemus. De quo Philodemum copiosius, quam ex Ciceronis verbis collegere licet, egisse, fragmentum indicat, quod pg. 72. 7 b. sine ullo quidem auctoris nomine legitur:

4. *ψυχὰς τῶν καλῶν κἀ-*
5. *γαθῶν θείας λέγων*
6. *δυνάμεις πολὺ κα-*
7. *ταδεεστέρας καὶ ἐλ-*
8. *λειπούσας.*

Refero enim sicut Sauppe, quamquam Gomperz dissentire videtur, quippe nomen Speusippi in indicem non recepit, ad illius Academici de animorum immortalitate doctrinam, quam ex Olympiodori commentario ad Phaedonem conscripto cognoscimus, ubi haec reperimus: *οἱ δὲ μέχρι τῆς ἀλογίας ἀπαθανατίζουσιν, ὡς τῶν μὲν παλαιῶν Ξενοκράτης καὶ Σπεύσιππος, τῶν δὲ νεωτερῶν Ἰάμβλιχος καὶ Πλούταρχος.*

Quibus ex verbis Speusippum elucet non rationalem tantum, sed et irrationalem animi partem immortalem iudicasse. Huic autem sententiae convenienter fragmentum nostrum sic suppleri potest, ut Speusippus bonorum animos dixerit non multum cedere vi animali, quae eundem atque Platonis universa mens divina locum tenet. Sed in Ciceronis narratione nos longius morari non opus est, quia neque Philodemus utile quidquam nobis subministrat neque aliunde eorum, quae Speusip-

pus sensit, imaginem satis expressam habemus, ut indicium cohibere commodissimum videatur.

Neque multo aliter de Aristotele, cuius ad placita nos nunc convertere debémus, se res habet, quia quo plures a Cicerone suscipimus nodos expediendos, eo minus auxilii ex Philodemi libro petere possumus, ubi nihil praeter haec invenitur pg. 72 7b. vv. 8—10.: *παρ' Ἀρισ — τοτέλει δ' ἐν τῷ τρίτῳ περὶ φιλοσοφίας* —, quibus tamen verbis Tullium nostrum presse Epicureum esse secutum egregie probatur. Hac autem occasione oblata non alienum mihi videtur, diligentius in libros *περὶ φιλοσοφίας* inquirere, quos Krische magna cum sagacitate eosdem esse ac methaphysicorum libros I, XI, XII (tres enim de philosophia libros fuisse ex Diog. L. V. 22 patet), suspicatus est. Quam tamen coniecturam ne adprobemus, res admodum graves nos impediunt. Licet enim omnes in tertio de philosophia libro prolatae sententiae ex metaphysicorum libro XII repeti possint, tamen testimoniorum neque Philoponi, qui de anima 1, 5 pg. 410b 28. Aristotelem narrat versus Orphicos usurpasse *ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας*, neque Diogenis Laertii, qui I, 8. eundem scripsit de aetate et praeceptis magicorum disseruisse *ἐν πρώτῳ περὶ φιλοσοφίας*, neque Porphyrii apud Stob. Floril. 21, 26. se legisse dicentis *ἐν τοῖς περὶφιλοσοφίας* illud *γνῶθι σεαυτὸν* iam multo ante Chilonem Delphis aedi cuidam inscriptum fuisse, ullum in metaphysicis detegi potest vestigium. Optimum igitur erit, illos tris de philosophia libros omnino a metaphysicis seiungere eosque, quod etiam J. Bernays in libro suo, qui inscribitur: Die Dialoge des Aristoteles. Berlin 1863. comprobare studuit, in dialogorum modum compositos censere et opiniones superiorum philosophorum continuisse et ab Aristotele ipso de summis causis expositas. — Quod ad doctrinam ipsam adtinet, in qua Velleio Aristoteles videtur multum turbasse, quoniam librorum de philosophia nullae exstant reliquiae, ad quas Ciceronis explicationem possimus exigere, nihil monemus nisi, quae sententiae proferantur, easdem fere etiam in aliis eiusdem auctoris scriptis facile inveniri, dummodo animo teneamus, ab Epicureo unum deum, quot sint ei cum mundo rationes, in totidem deos esse discerptum. Quod tamen legimus, mundum ipsum deum esse, nusquam alibi apud

Aristotelem propositum reperitur; at eiusmodi sententiam in libris de philosophia exstitisse ex Philone comperimus, quippe de Incorrupt. mundi vol. II, pg. 489. Aristotelem, mundum nec interire posse nec natum esse existimantem, illos refert magnae impietatis insimulasse, *οἳ τῶν χειροκμήτων οὐδὲν φήθησαν διαφέρειν τοσοῦτον ὁρατὸν θεὸν ἥλιον καὶ σελήνην καὶ τὸ ἄλλο τῶν πλανητῶν καὶ ἀπλανῶν ὡς ἀληθὲς περιέχοντα πανθεῖον*, quem locum ex libris de philosophia depromptum esse et rebus adlatis fit verisimile et festiva dicendi ratione dialogo maxime propria. Cum tamen Aristoteles illo loco solem ceteraque sidera deos nuncupans omniaque circumplectentem mundum *ὁρατὸν θεὸν* dicens sese opinioni communi adcommodaret, Epicureus doctrinae discrepantias captans cuncta pro Stagiritae ipsius opinione temere adripuit, ut ansam reprehendendi sibi compararet.

Dum autem propter omnes rerum depravationes, quas adhuc deprehendimus, Philodemus eiusve auctor recte vituperationem nostram subit, ne Tullium ab omni omnino culpa liberemus, voce quadam (sc. ardore caeli) prohibemur, quae gravem nobis scrupulum inicit. Cum enim Aristoteles Anaxagorae opinionem, ab *αἴθειν* vocem *αἰθέρα* esse derivandam, plane reprobaverit originem potius ab *ἀεὶ θεῖν* ducens (cf. de Caelo I. 3. pg. 270 b. 22. et Krische l. c. pg. 307.), sed in Ciceronis ardore caeli illud veriloquium dilucide contineatur, consequens est, aut Philodemum aut Ciceronem Stagiritae rem ab ipso reiectam adsignasse. Quominus tamen Philodemum accusemus, haec nobis causa intercedit, quod, si ille Epicureus sive in doctrinae enarratione sive in iudicio, quod eum subiunxisse compluribus antea argumentis probavimus, hancce fraudem fecisset, Cicero sine dubio non neglexisset, divinitatem ardoris caeli ita deridere, ut deum ex aethere constantem ipso ardore absumendum esse argueret. Optime igitur haec difficultas tollitur, si Ciceronem, qui, ubicumque alibi de aethere loquitur, ad Anaxagorae veriloquium respicit (cf. II, 15, 41; 24, 64; 36, 91, 92; 40, 101.), in vertendo Graeco verbo hanc depravationem commisisse existimamus, quam quidem quominus ad confutandam Aristotelis sententiam adhiberet, haud scio an eo impeditus sit, quod manifestam facere fraudem dubitavit.

Quodsi iam recognoscimus, quae hucusque a nobis disputata sunt, grato sane animo erga fortunam esse debemus, quod ex Philodemi libro περὶ εὐσεβείας miserrime lacerato in cuiusque fere philosophi doctrina percensenda aliquem, quantuluscumque fuit, fructum percipere potuimus. Multo vero infelicius de eis actum est, qui apud Ciceronem infra Aristotelem et Persaeum locum occupantes nunc curam nostram et diligentiam requirent, quia eae paginae, quibus placita eorum enarrata fuisse apertum est, partim prorsus deperditae sunt, partim singulas tantum litteras vel pauca modo vocabula servarunt. Sed hoc damnum, quamvis vehementer lugendum sit, inde tamen paululum compensatur, quod in enarratione Ciceroniana vestigia aliquot deprehendimus, quae diligenter persequentes insperata interdum lucra facere possumus.

In Xenocratis quidem placitis, qui Stagiritam subinde sequitur, nos diutius remorari non opus est, quia neuter auctor, nec Philodemus nec Cicero, ullum nobis subministrat auxilium; neque eo nos aegre caremus, quoniam quae ex Xenocratis doctrina apud Ciceronem excerpta inveniuntur, admodum genuinam ostendunt formam, nisi quod stellae inerrantes, in quibus Xenocrates deum summum collocaverat, introducuntur deus ex dispersis quasi membris simplex: id quod certo est documento, Epicureum narrare, humanam suorum deorum speciem illi summo deo obtrudere laborantem.

Idem color Epicureus iam in iis cernitur, quae de Heraclidae Pontici doctrina referuntur, siquidem Cicero, qui alibi (cf. Tusc. V, 3, 8; de Divin. I, 1.) eum magni ducit, virum dicens inprimis doctum, in hac expositione, scilicet ut animos ab eodem abalienaret, eum et puerilibus fabulis libros refersisse, et mundum deum putasse tradit, Pontico cum schola, unde profectus est, sententiam pugnantem tribuens. Idem autem, ut ait Cicero, sensu deum privavit et eius formam mutabilem esse voluit; quae tamen verba Heraclidae ipsius esse non posse, unusquisque facile intellegit, qui leviter tantum scholae Platonicae disciplina imbutus est. Utri autem haec perturbatio deleganda sit, Epicureone nostro, qui neglegenter, ut adsolent Epicuri sectatores, ipsis placitis ea immiscuerit, quae consequentia ei esse videbantur, an Ciceroni, qui in eis, quae a Philodemo copio-

sius erant exposita, breviandis et contrahendis ita lapsus sit, ut genuina cum consequentibus temere conmisceret, equidem diiudicare non ausim.

Quod porro Velleius Theophrasto inconstantiam exprobrat, neutiquam miramur, quia idem Aristotelem, quem in hacquidem philosophiae parte discipulus presse secutus est, multa turbasse censuit.

Eiusdem etiam levitatis, quam antea in Heraclidae Pontici conmemoratione reprehendimus, novum exemplum luculentissimum illa praebent, quae de Stratone Lampsaceno traduntur: quod enim hic vim divinam in natura sitam censuisse dicitur, quae causas gignendi, augendi, minuendi habeat, „sed careat omni sensu et figura", quae in relatione extrema leguntur, nemo est, quin ea doctrinae ipsius partem esse non posse perspiciat. Quamquam enim Heraclides Plutarcho auctore (adv. Colot. 14.) *τὸν κόσμον αὐτὸν οὐ ζῷον εἶναι* professus est, nulla tamen erat causa, cur hanc sententiam ita exprimeret, ut mundum sensu et figura privaret. Omnis tamen scrupulus nobis eximitur, si illa verba additamentum Epicurei ducimus, qui, cum deos nisi sensu et figura humana praeditos intellegere non posset, ita naturam Stratonis divinitate privavit, ut duas ei res maxime necessarias deesse diceret. Utrum vero Philodemum vituperemus, an Ciceronem, hoc quoque loco ancipites haeremus, quia utrumque hanc fraudem fecisse perinde est verisimile.

Licet autem in quamvis lubrico adhuc versati simus, eo minus tamen, quo longius progredimur, reperimus locum, ubi consistamus: dum enim ad recognoscenda superiorum philosophorum decreta ab scriptoribus saltem historiae philosophiae praesidio admodum magno ornati sumus, de nonnullorum Stoicorum, ad quos Cicerone duce nunc venimus, placitis praeceptisque omni propemodum auxilio destituti sumus. Neque enim quisquam unus praeter Ciceronem de Stoicorum ratione ita disserit, ut suas cuique philosopho sententias tribuat, sed omnia aut promiscue ad universam scholam referunt, aut principibus vindicant. Rectene igitur an secus Cicero singula singulis philosophis decreta adiudicaverit, nequaquam diiudicari potest.

Philodemum autem, ut ad propositum revertar, ad modum Ciceronis omnes Stoicos percensuisse, inde patescit, quod non tantum pg. 84. v. 8., ubi cuncta opprobria, quae in Stoicos congesserat, quam paucissimis comprehendit, ait: *πάντες οὖν οἱ ἀπὸ Ζήνωνος κ. τ. λ.*, sed etiam eis paginis, ubi de Zenonis, Aristonis, Cleanthis placitis actum erat, quamvis cinere candente in carbones et cineres versae sint, vocabula aliquot litterarumque formae servata sunt, quae manifesta exhibent doctrinae Stoicae vestigia. Exstant enim pg. 74. haec:

1. . . . . *δύναμιν* 3. *οἰκείως τῶν μερῶν,*
2. *οὖσαν συναπτικὴν* 4. *πρὸς ἄλληλα καὶ ἐκ,*

quae facile referuntur ad Stoicorum deum per omnia permeantem omniaque continentem. Quod porro ibidem v. 34. nomen *Διοςκούρους* invenitur, certe nemo non cogitat de celeberrima eorum ratione, qui Homeri et Hesiodi fabulas machinis etymologicis vehementer abusi tam solerter interpretabantur, ut hi poetae pro Stoicis veterrimis haberi possent, quamquam, quem in sensum allegoricum fabulam de fratribus geminis detorserint, nusquam traditur. Sed, ut ad Ciceronis narrationem transgrediamur, si ea, quae de Zenone dixit, accuratius examinamus, nonnulla reperimus, quae pluribus excutienda sunt. Dicens enim Velleius, naturalem legem (quippe rem ab omni sensuum societate seiunctam), qui efficiat (Zeno) animantem, intellegere nos non posse, aperte sententiam valde conturbat, quoniam contra placita omnium Stoicorum, qui, ut tam ex aliis locis, quam ex de N. D. libr. II, 17, 45; II, 31, 78. cognosci potest, deum *ζῶον ἔμψυχον* esse voluerunt, non deum legem esse censet, sed legi tribuit divinitatem. Quae perversitas, quandoquidem aliis locis Cicero recte docuit, quin in Epicureum, non dico Philodemum, sed eius auctorem, congerenda sit, nemo facile dubitabit secum reputans, illius scholae sectatores, cum Stoicis internecivam exercentes simultatem, nulla veritatis religione cruciatos esse, praesertim cum quid lucri simul ad refutationem inde redundare cernerent. Sed ne cuipiam acerbius in Epicuri familiam invecti esse videamur, alia in re quin eiusdem patrocinium suscipiamus, facere non possumus Pergens enim Cicero Zenonem dicit astris hoc idem (sc. divinitatem) tribuisse, tum annis, mensibus annorumque mutationibus: quae

sententia, esti de astris certo constat, tam mira est, ut dubitem equidem, num Stoicis recte vindicetur.

Neque tamen ideo, quod nemo ceterorum scriptorum idem commemorat, R. Kuehnero protinus assentiendum est, in germanica sua librorum de natura deorum interpretatione indicanti, hoc placitum non genuinum, sed Phaedri (Philodemi) esse, qui solis et lunae divinitatem temere ad eorundem siderum circuitus transtulisset, sed potius illud vestigium, quod in Philodemi ipsius libro deprehendimus, nos persequi oportet. De Chrysippo enim disputans pg. 79. v. 8 sq. neque deos esse dicit mares neque feminas, sicuti nec urbes nec virtutes; significari tantum modo genere masculino et feminino *ταὐτὰ ὄντα καθάπερ Σελήνην καὶ Μῆνα.* quibus ex verbis cum clare eluceat, a Chrysippo lunae ambitum in deorum numero esse habitum, non dubitamus, quin iam Zeno idem docuerit. Rectissime autem, si doctrinae tam inauditae causam quaerimus, eam explicat Krische l. c. pg. 389, ubi ait: „Je mehr die stoische Schule darauf ausging, die Wirkungen dieser Körper (der Sonne und des Mondes) zu verfolgen, um göttliches Leben durch die ganze Welt zu verbreiten, um so natürlicher war es ihr, die Jahre und Jahreszeiten und die Monate als regelmässig erfolgende Umläufe der Sonne und des Mondes zu vergöttern.“

Quod ad Aristonis doctrinam adtinet, non est, cur in ea longum tempus teramus, qiua neque Philodemi libri fragmenta nobis opem ferunt, neque ab ullo alio scriptore antiquo de iis sententiis, quas Cicero adtulit, quidquam erudimur.

Verumtamen omnibus ceteris, quae de illo philosopho traduntur, considerate perpensis verisimile nobis videtur, Aristonem hoc docuisse, in physicis, quae captum nostrum excedant, omnino nihil certi maximeque deos non posse cognosci, ita ut in Ciceronis expositione doctrinam non adgnoscam genuinam, sed sapientia Epicurea infectam. Neque vero quisquam qui, quae adhuc singulatim de libri Philodemei fide exposui, adprobaverit, me malevolentiae aut invidiae insimulabit, quod eundem vel eius auctorem arguo, non sinceram Aristonis confessionem rettulisse, sed eam sic immutasse, ad scholae suae modum, ut illum maxime necessaria, formam dico humanam et sensum,

diis abiudicasse diceret, quemadmodum postea in Stoicorum recognitione pg. 85. v. 1. sq. ait: ἀνθρωποειδεῖς γὰρ ἐκεῖνοι οὐ νομίζουσιν.

Nec longius nos Cleanthes, qui apud Philodemum eandem ac Stoici priores fortunae acerbitatem perpessus est, detinere potest, quoniam quae de eo uti tenacissimo scholae discipulo referuntur, partim iam ex Zenonis doctrina innotuerunt, partim cum Stoicorum ratione optime conveniunt. Una tamen res videtur digna, quam copiosius tractemus. Fertur enim Cleanthes ultimum etiam et altissimum atque undique circumfusum et extremum omnia cingentem atque complexum ardorem, qui aether nominetur, deum certissimum iudicasse, plane ab illis, quae aliunde accepimus, placitis discrepans. Omnes enim testes antiqui, quibuscum Cicero consentit Acad. II, 41, 126, eum narrant hac in re a Zenone valde dissidere, quod deum suum in sole collocaverit, unde quasi in aethera conversus, quidquid esset faciundum per mundum, omne conficeret (cf. Krische pg. 429: Unter dem Aether als Gott verstand Kleanthes die Erscheinungsweise seines Gottes, der als ätherisches Feuer von der Sonne aus sich wirksam äussere.") Quae enarrationum differentia cum non aliunde repeti possit nisi ex levitate Epicureorum, qui exactam aliorum placitorum intellegentiam nihil curabant, Philodemus eiusve auctor, quae Zeno aliique Stoici de summo deo proposuerant, cum Cleanthis sententia confudit.

Iam ex caligine et tenebris, quae proxime antecedentibus libri Philodemei paginis obductae erant, ad loca pervenimus illustriora, quia quae de Persaeo exstant, duas fere papyri pagellas quamvis lacunosas complent. Quibuscum si Ciceronis explicationem contendimus, novum adspicimus documentum, quanta cum libertate Tullius copias nimium cumulatas in formam probabilem converterit, quippe omnia in summam quandam contracta sic eloquitur, ut sententiam citra putidas ambages comprehendamus. Nec tamen hac causa, nec quod Cicero sententiarum serie, quam Philodemus constituerat, deserta suo ex arbitrio omnia transposuit, peritus quisquam secum expendens, quem admodum nos quoque in libro aliquo compilando versari soleamus, adducetur, ut inde argumenta ad labefactandam de utriusque scriptoris necessitudine sententiam idonea

petere conetur. Sed, ut singula perlustremus, ex illis, quae pg. 75 servata sunt:

6. *Περσαῖος δὲ δῆλός*	3. *ἢ μηθὲν ὑπὲρ αὐ-*
5. *ἐστιν . . . . ἀφανί-*	2. *τοῦ γινώσκων ὅταν*
4. *ζων τὸ δαιμόνιον*	1. *ἐν τῷ περὶ θεῶν* . .

non modo novum accipimus testimonium nostrae iam saepius adlatae opinionis, Ciceronem non suo ex ingenio deprompsisse indicia ac confutationes ut Krische arbitratus est, sed hic quoque auctorem secutum esse, cum supra adlegata verba e Philodemi mente dicta esse necesse sit; verum indidem etiam cognoscimus, Philodemum non, ut antehac credebatur, ex Persaei libro *περὶ ἀσεβείας*, quem Diog. L. VII, 36 solum Persaei dicit, decreta sua excerpsisse. Quae tamen Cicero refert secundum Persaei placitum, eos esse deos habitos, a quibus magna utilitas ad vitae cultum esset inventa, iis prorsus respondent apud Philodem. vv. 8—13 pg. 76

8. *μετὰ δὲ ταῦ-*	11. *ἢ τὰς ἄλλας τέχνας*
9. *τα τοὺς εὑρόντας*	12. *ὡς Δήμητρα καὶ Δι-*
10. *ἢ τροφὰς ἢ σκέπας*	13. *όνυσον καὶ τοὺς* —

Quam sententiam a Philodemo multo copiosius tractatam esse, versus octo misere lacerati ostendunt, qui subinde sequuntur, in quibus virorum beneficorum mentio fit, sicut honorum divinorum, quibus adfici soleant. Quae denique Cicero addit, ipsas res utiles et salutares deorum vocabulis nuncupatas esse, Philodemi sunt verba pg. 76, v. 2 sq.:

2. *φαίνεσθαι τὰ περὶ*	4. *φελοῦντα θεοὺς νε-*
3. *τὰ τρέφοντα καὶ ὠ-*	5. *νομίσθαι καὶ τετει-*
	6. *μῆσθαι.*

Totius vero doctrinae, cum quispiam, quod ea Prodici et Euhemeri sententiam nimis redolet, facile in fraudis suspicionem vocaverit Epicureum, quem de veris aliorum decretis non ita religiosum fuisse scimus, haud alienum videtur patrocinium suscipere. Namque non solum Cicero ipse II, 23, 60—63. eadem placita nullo nomine indicato universis Stoicis tribuit, sed ea etiam optime congruere cum Stoicorum ratione Krische l. c. pg. 441 sq. demonstravit, ad quem eos relegamus, qui dictis nostris fidem additam velint.

Venimus nunc ad certiora. De Chrysippi enim et Diogenis Babylonii placitis, quae iam curam nostram operamque efflagitant, tam solida apud Philodemum invenimus fundamenta, ut firmiter eis niti et insistere queamus.

Hanc tamen condicionis opportunitatem, qua in insequente disputationis nostrae parte utemur, non magis fortunae beneficio debemus, quae duodecim *σελίδας* omnium optime servatas nobis tradidit, quam diligentiae et sagacitati virorum de hoc fragmento optime meritorum, Petersenii, Krischei, Sauppei, Gomperzii.

Quod iam supra in Persaei doctrina percensenda diximus, Ciceronem non eodem ac Philodemum ordine placita singula enumerasse, id ad dissolvendam utriusque scriptoris necessitudinem nihil valet, quippe cum ei integrum esset, quomodo Graeca subsidia in suum converteret usum; immo illam denuo, quamvis nullo amplius documento opus esse videatur, hac nostra disputatione liquido comprobatum iri certo spero. Sed non minus facile alia res notabilis expediri potest: nimirum quod adhuc suspicari nobis licuit, nec vero ad liquidum perducere, acerbiora exordia, quae apud Ciceronem disciplinis complurium philosophorum ita sunt praemissa, ut statim ab initio animi aliorum abalienentur, non fuisse Philodemi, quem virum scimus elegantem et humanum atque ab hoc acerbe cavillandi studio alienum fuisse, id hoc loco dilucide evincitur, cum idem pg. 77. v. 13 sq. statim ad sententias Chrysippi explicandas adgrediatur.

Quaerentibus autem, quanam de causa Cicero ultro tanta malignitate relationem infecerit, hoc omnino non consulto factum esse respondebo, nam Zenonis, quem, cum Athenis esset, frequenter audiebat, scholarum memor videtur acerbitatis aliquid expositioni suae immiscuisse. Quam vehementer enim Zeno ceteros philosophos cavillatus sit, inde licet concludi, quod Tullius ipse eum perhibet senem acriculum, qui alios maledictis figebat (cf. N. D. I, §. 93. Tusc. III, §. 38). Sed ut tandem ad rem ipsam accedamus, prima verba Philodemi

pg. 77, 16. *Δία φη-*
17. *σὶν εἶναι τὸν ἄπαν-*
18. *τα διοικοῦντα λόγον*
19. *καὶ τὴν τοῦ ὅλου ψυχήν*,

quam sententiam capitalem iam a Zenone et Cleanthe cognovimus, fideliter Cicero sic convertit: ait vim divinam in ratione

esse positam et universae naturae animo atque mente. Porro autem dicens, ipsum mundum deum esse et eius animi fusionem universam, priorem quidem huius sententiae partem ad verbum fere expressit, etenim leguntur apud Philodemum p. c. v. 26 sq. *τόν τε κόσμον ἔμψυχον εἶναι καὶ θεόν*, sed verba postrema, quae mire contorta interpretem manifesto produnt linguae difficultate praepeditum (nihil enim aliud significant quam animum per universam rerum naturam fusum), subsidio Philodemeo carent, quia duo versus proximi paene plane evanuerunt. Attamen pauca quaedam quae exstant vestigia, neque minus fusio universa Ciceronis, qui certe Graecum *διαχεῖσθαι* ob oculos habuit, quoniam, ubicumque alibi hac de re loquitur, verbis utitur pertinendi, tranandi, permanandi, transeundi (cf. Krische pg. 382), nos adducunt, ut non sine magna veritatis specie suspicemur, his versibus lacunosis mentionem factam fuisse dei Stoicorum per omnia permeantis. Rectissime igitur Sauppe videtur eos in hunc modum restituisse: 20. *καὶ τῇ τούτου* 21. *μὲν ῥύμῃ πάντα* 22. *διαχεῖσθαι* (sc. *καὶ φυτὰ καὶ ζῷα καὶ τοὺς λίθους*), ita ut deus dicatur per omnes stirpes et animalia permeare atque ad lapides pertinere; Gomperz contra nescio qua re commotus, Tulliano subsidio plane spreto, *τῇ ζωῇ πάντα ζῆν* scribi voluit. Quod quidem Cicero praepostero sententiarum ordine usus est, eo, opinor, nemo prudens offendetur, cum haud raro fieri soleat, ut quae in legendo postrema percepimus, ea in scribendo loco primo collocemus. Sed porro audiamus Ciceronem, qui sic pergit: tum eius ipsius (sc. mundi) principatum, qui in mente et ratione versetur, (deum esse). Quibuscum verbis conferenda sunt Philodemea vv, 28 et 29: *καὶ τὸ ἡγεμονικὸν καὶ τὴν ὅλου ψυχὴν* . . ., etsi nomen *ἡγεμονικὸν* a Petersenio demum rescriptum est secundum verba Ciceronis, qui II, 11, 29 principatum, inquit, id dico, quod Graeci *ἡγεμονικὸν* vocant. De posteriore vero sententiae parte, quia unus versus penitus deletus est, iudicium omittamus, si quidem in tam incertis eruditione et ingenio, quod mihi videtur Krische fecisse, abuti et incertas coniecturas pro certis vendere nolumus; licet enim cum aliqua verisimilitudine legantur *καὶ τὴν ὅλου ψυχὴν καὶ* . , his tamen in verbis nullum comparet vestigium principatus in mente et ratione versantis. Certius

fundamentum invenimus in sententia proxima, quam Cicero sic reddidit: communemque rerum naturam, universam atque omnia continentem; tum fatalem vim et necessitatem rerum futurarum (sc. deum dicit Chrysippus esse). Quibus satis respondent apud Philodemum vv. 32 sq. *τὸν Δία καὶ τὴν* 33. *κοινὴν πάντων* pg. 78. 1. *Φύσιν καὶ Εἱ-* 2. *μαρμένην καὶ Ἀνάγκην*, nisi quod duplice ratione Cicero ab auctore discessit. Primum enim adiectivi „universam" ad rerum naturam adpositi nullum est vestigium in verbis Graecis, neque tam frigida notionis universitatis, quam satis superque iam „communem" adiectivum indicat, iteratio ferri potest. Huius autem rei excusatio neque ex Ciceronis verborum profluentia repeti potest, cum numquam in ambages putidas incurrerit, neque inde, quod nostro loco in Graecis verbis reddendis linguae Latinae natura impeditus sit. Nemo igitur, opinor, qui nullum horum librorum codicem accurate periteque descriptum esse recordetur, nos temeritatis arguet, quod vocem „universam" exstingui volumus. Alteram vero discrepantiam, quae inter utriusque scriptoris explicationem intercedit, dico quidem verba „omnia continentem," Ciceroni ipsi esse adscribendam facile perspicitur; quam tamen non aegre ignosces, dummodo eum tantum vanitati etiam cuique nostrum propriae indulsisse intellexeris: sicut enim nos omnes in re, cuius ipsi sumus periti, enarranda perfacile ex penore nostro addimus, quod non sit alienum, sic quoque Cicero, optime is quidem cum Stoicis consentiens (cf. Diog. L. VII, 148), omnia continendi potestatem communi rerum naturae ultro adtribuit. — Philodemus autem, postquam virtutes, quae propter utilitatem a Graecis dearum nominibus dignae sint habitae, ita a Chrysippo inter deas esse relatas, ut earum nomina varias unius summi numinis praestantias et virtutes indicarent, deosque nec mares nec feminas esse memoravit (quam totam disputationem Cicero omisit), sic pergit pg. 79. v. 20 sq.

20 *Ἥφαιστον δὲ*
21. *πῦρ εἶναι, καὶ Κρόνον*
22. *μὲν τὸν τοῦ ῥεῦμα-*
23. *τος ῥοῦν, Ῥέαν δὲ τὴν*
24. *γῆν, Δία δὲ τὸν αἰ-*
25. *θέρα.*

Quae verba minus religiose Cicero ita interpretatus est: ignem praeterea et eum, quem antea dixi aethera; tum ea, quae natura fluerent atque manarent, ut et aquam et terram

et aera. Philodemo enim singulos deos in elementa, quibus quemque praepositum putavit, resolvente Tullius non elementa tantum enumerat, sed etiam quemadmodum aliud ex alio generetur, indicat, ut deos Chrysippeos deridere posset. In eo autem eidem profuit Stoicorum scientia physicorum, quam II, 33, 84 his verbis ostendit: „Et cum quattuor sint genera corporum, vicissitudine eorum mundi continuata est natura. Nam ex terra aqua, ex aqua oritur aer, ex aere aether; deinde retrorsum vicissim ex aethere aer, ex aere aqua; ex aqua terra infima. Sic naturis his, ex quibus omnia constant, sursum deorsum, ultro citro commeantibus mundi partium coniunctio continetur.“ Vicissitudinem vero corporum nostro loco verbis fluendi atque manandi reddidit. Neque tamen hanc doctrinam, quam in libro secundo Cicero Stoicis universis tribuit, Epicureum nostrum ultro Chrysippo vindicasse, Stobaeus (I, pg. 312, 370) et Diogenes Laertius (VII, 142) auctores sunt, quippe Chrysippum praecepisse tradentes, ignem deorsum ferri ita, ut gradatim tum aer, tum aqua, tum terra fieret, deinde autem vicissim omnia resolvi in ignem.

Chrysippus autem Philodemeus, ut ad aliud transgrediamur, postquam Epicureorum, opinor, scholam impugnans, sicut neque urbes neque fluvios neque regiones neque animi perturbationes, quamquam ad hominum similitudinem ab artificibus fingerentur, re vera esse huius figurae, item ne deos quidem hominum figuris esse indutos comprobavit, (quam quidem totam disputationem, cum Epicuri doctrinam ad vivum resecaret, Velleius silentio praeteriit), haec ait pg. 80. v. 1 sq.:

1. *καὶ Δία μὲν εἶνα-*
2. *ι τὸν περὶ τὴν γῆν ἀ-*
3. *έρα, τὸν δὲ σκοτεινὸν*
4. *Ἅιδην, τὸν δὲ διὰ τῆς*
5. *γῆς καὶ θαλάσσης Πο-*
6. *σειδῶνα καὶ τοὺς ἄλ-*
7. *λους δὲ θεοὺς ἀψύχοις*
8. *ὡς καὶ τούτους συν-*
9. *οικειοι.*

Quae verba Cicero, ordine quem Epicureus instituerat neglecto, ita transtulit: Idemque, inquit, disputat aethera esse eum, quem homines Iovem adpellarunt, quique aer per maria manaret, eum esse Neptunum terramque eam esse, quae Ceres diceretur: similique ratione persequitur vocabula reliquorum

deorum. Quod ad hunc ab auctore discessum spectat, causa eius a Krischeo l. c. pg. 469 adlata mihi quidem nimis videtur artificiosa; nimirum Ciceronem arbitratur, cum seriem explicationis curiosius servare nihil eius interesset, elementa illo quem in natura teneant ordine persecutum esse, aeri coniungentem aethera, in quo astra volvantur. Multo tamen, reor, simplicior et probabilior est opinio, Ciceronem, cum Philodemea in opus suum transferret, non singula enuntiata deinceps perlecta statim in Latinum convertisse, sed, ut fere fit, pluribus simul animo comprehensis ea, quae extrema in Graeco libro fuissent, in vertendo prima posuisse. Sed nos, quoniam tali in re non nimis curiosi esse debemus, ad utriusque scriptoris sententias comparandas convertamus. Hic in duabus rebus Tullium ab auctore degressum cernimus: primum enim Philodemus *Δία μέν*, inquit, *εἶναι τὸν περὶ τὴν γῆν, τὸν δὲ σκοτεινὸν Ἅιδην*, sed Cicero aethera esse eum dicit, quem homines Iovem adpellent terramque eam esse quae Ceres dicatur. Cum igitur Epicureus tris Saturni filios unum eundemque aera significare indicet, qui quidem ita inter se differant, ut alius iuxta alium per diversas mundi partes permeent regantque, Cicero illam unionem non solum dissolvit, sed et Cererem pro Plutone substituit. Cuius discrepantiae nullam proferre possum causam nisi eam, quod Cicero, cuius intererat, turbam deorum quam maxime augere, contemta illa unione, quae inter Jovem, Plutonem, Neptunum secundum Chrysippi doctrinam intercedit, Jovem aethera dixerit, terram vero Cererem, memor fortasse eorum, quae antea pg. 79. v. 24 sq. legerat: *Δία δὲ τὸν αἰθέρα, τοὺς δὲ τὴν Δήμητρα γῆν.* Hanc autem suspicionem non omni vacare dubitatione non infitior, utpote qui haud ignorem, quam difficile sit, tali in re certi quid expromere. Philodemus deinde pg. 80. v. 10 sq. sic pergit:

9. *καὶ τὸν ἥλι-*
10. *όν τε καὶ τὴν σελή-*
11. *νην καὶ τοὺς ἄλλους*
12. *ἀστέρας θεοὺς οἴε-*
13. *ται καὶ τὸν νόμον*
14. *καὶ ἀνθρώπους εἰς*
15. *θεούς φησι μεταβάλ-*
16. *λειν.*

Quibus cum dictis Tulliana haec componamus: „solem, lunam, sidera universitatemque rerum, qua omnia continerentur, atque etiam homines eos, qui immortalitatem essent consecuti.“

In utraque enarratione omnia inter se conveniunt, nisi quod universitatis rerum, qua omnia continerentur, nulla fit a Philodemo mentio. Huc accedit, quod haec verba nec ullum Stoicorum placitum produnt, nec antegressorum continent explanationem. Aut igitur ut librariorum commentum illa verba expungenda sunt, aut existimare debemus, Ciceronem siderum conmemoratione esse commotum, ut ad maius procedendo etiam mundum adderet. Alia tamen in re quin Cicero ipse peccaverit, dubitari nequit. Philodemus enim hoc tantum dixit, homines etiam in deos mutari, quos tamen inmortalitate ipsa caelestibus cedere Chrysippi erat opinio (cf. Chrysipp. apud Plut. adv. St. c. 36, 33. Cic. de N. D. II, 61, 153), quia a corpore secreti bonorum animi dumtaxat ad *ἐμπύρωσιν* usque permanerent, dein vero in Iovem ipsum absorberentur; sed Tullius eis errore lapsus etiam immortalitatem tribuit.

Restat, ut de voce *νόμον* paucis disputem. Omnes ante Sauppe horum fragmentorum emendatores, quibus Gomperz editor recentissimus adsensus est, post *νόμον* plene distinxerunt, ut lex cum sideribus, quae praecedunt, mire coniungatur. Neque Cicero illo loco ullam fecit legis mentionem. Quibus causis Sauppe adductus *νόμον* vocem cum subsequentibus ita iunxit, ut *τὸν νόμον* subiecti vice fungatur, eodem quidem dicendi genere, quo Balbus utitur apud Ciceronem de N. D. II, §. 64: „suscepit autem vita hominum consuetudoque communis, ut benefeciis excellentes viros in caelum fama ac voluntate tollerent.“ Quae coniectura, quamvis sit speciosa, quod insolitam istam legis cum sideribus copulationem tollit, alias tamen quae suboriuntur difficultates discutere nequit. Unde tandem ea derivanda sint, quae Cicero fusius de lege aeterna subiecit? Neque vero videtur credibile, eum nullo suppeditato vestigio hanc sententiam suopte ex ingenio adiecturum fuisse. Aliam ergo viam ingrediamur necesse est. Licet enim apud Philodemum lex a sideribus aliena sit, inde tamen non sequitur, eandem rationem in Chrysippi libro fuisse, unde Philodemeus manavit; immo potius putandum, Stoicum apta oratione a sideribus ad legem conmemorandam progressum esse. Philodemus autem, vel eius auctor, in excerpendo, ut fieri solet, verba quibus sidera cum lege apte coniuncta erant omisit, ita

ut nobis lex necopinato adferri videatur. Cicero igitur, opinor, in Graecis convertendis re eadem atque nos offensus alio legis mentionem transposuit, amplificans eam quidem, sed a Chrysippi doctrina, quam ex ipsius librorum studio perceperat, nihil discedens. Hisce autem verbis *νόμου* vocem explanat: Idemque etiam legis perpetuae et aeternae vim, quae quasi dux vitae et magistra officiorum sit, Iovem dicit esse, eandemque fatalem necessitatem adpellat, sempiternam rerum futurarum veritatem.

Quas singulas interpretationis partes ex Chrysippi disciplina haustas esse Krische l. c. pg. 475 acute probavit. In primo scilicet libro Chrysippus ipsas deorum notiones et facultates exposuerat, sed in secundo fabulas de diis a poetis traditas notionibus suis adcommodaverat.

Pergit enim Philodemus pg. 80. v. 16 sq.:

16. *ἐν δὲ τῷ δευ-*
17. *τέρῳ τά τε εἰς Ὀρφέ-*
18. *α καὶ Μουσαῖον ἀνα-*
19. *φερόμενα καὶ τὰ*
20. *παρ' Ὁμήρῳ καὶ Ἡ-*
21. *σιόδῳ καὶ Εὐριπίδῃ*
22. *καὶ ποιηταῖς ἄλ-*
23. *λοις ὡς καὶ Κλεάν-*
24. *θης, πειρᾶται συνοι-*
25. *κειοῦν ταῖς δόξαις αὐτῶν.*

Quem locum Cicero in hunc transtulit modum: in secundo autem vult Orphei, Musaei, Hesiodi Homerique fabellas adcommodare, quae ipse primo libro de diis immortalibus dixerat: ut etiam veterrimi poetae, qui haec ne suspicati quidem sint, Stoici fuisse videantur. Quae cuncta apud utrumque auctorem inter se congruunt, nisi quod Cicero Euripidem aliosque poetas omisit.

Postremo Philodemus ex Chrysippi libris dicta protulit de Gratiis, de natura, de providentia, sed cum hic eaedem plane fabularum explicationes repetantur, non est, cur Ciceroni succenseamus, quod omnia silentio transiecit.

Ad Diogenem Babylonium nunc transeuntibus nobis illa libertas manifesto adparet, qua Cicero copias Philodemi in rem suam verterit; etenim longiorem eiusdem, sed eam nec iucundam et minus fructuosam epitomen ex allegoriis Diogenis, quae duas papyri complent paginas, in has redegit augustias: Quem Diogenes Babylonius consequens in eo libro, qui inscribitur de

Minerva, partum Jovis ortumque virginis ad physiologiam traducens disiungit a fabula. Quoniam autem Cicero in dubio reliquit, qua ratione Diogenes partum Minervae interpretatus sit, operae pretium esse videtur, Philodemi librum inspicere. Ille igitur ait pg. 83. v. 4 sq., ut quod Jovis sit, per mare sit distributum, per terram, quod Cereris, per aerem, quod Junonis sit, sic τὸ

5. δ' εἰς τὸναἰθέρα Ἀθη-
6. νᾶν. τοῦτο γὰρ λέγε)-
7. σθαι τὸ „ἐκ τῆς κεφα-
8. λῆς“ καὶ „Ζεὺς ἄρρην
9. Ζεὺς θῆλυς.“

Proinde Minervam ita interpretatus est, ut hanc deam Jovis partem per aethera distributam diceret. Hanc tamen interpretationem Diogenem Babylonium non primum protulisse ex Diog. L. verbis (VII, 147) concludi potest, qui eandem Stoicis universis tribuit. Neque eam ab antiquissima Minervae significatione omnino esse alienam, nos iam docuit C. O. Müller in libro suo, qui inscribitur: de Minervae Poliadis sacris etc. Gotting. 1820. Neque si Juppiter aethera designat, filiam ex eius capite natam idem valere difficile est ad intellegendum.

Omnium horum philosophorum disciplinis percensis Cicero et poetarum de diis fabulas, et portenta magorum Aegyptiorumque in eodem genere dementiam brevissime exagitat. Materiam autem Tullium pariter atque antea e Philodemi libro, qui eam longe copiosius tractavit, deprompsisse quamvis facile suspicemur (nihil enim facit ad rem, quod praeposterum ordinem apud Philodemum invenimus, cum libri reperti descriptionem auctoribus debeamus recentioribus): tamen, quod 65 fere Epicurei paginas tam contraxit, ut eadem res ne duobus quidem paragraphis contineatur (42 et 43.), liquido declarari nequit. Neque vero melius res se habet de Epicuri dogmatis, qui post superiorum philosophorum conatus infelicissimos quaestionem de diis primus ad exitum adduxerit: horum enim omnium, quae disciplinae Epicureae capita Cicero posuit, primum esse deos, quod eorum notionem in omnium animis impressisset ipsa natura; deinde deos esse beatos et immortales; denique quod beatum aeternumque sit, id nec habere ipsum negotii quidquam nec exhibere alteri, in secunda libri Philo-

demei parte iam nullum restat vestigium, sed fuse lateque disputatum est de rebus iustam pietatem consequentibus, ut nobis putare liceat, dogmatum explanationem cum aliquot paginis antecedentibus deperditam esse.

Haec fere sunt emolumenta, quae ex Philodemi scripto *περὶ εὐσεβείας* in Ciceronis libros de natura deorum redundant, minus illa quidem copiosa, attamen, si miseram fragmentorum condicionem respexeris, haud levia.



Vita.

Carolus Fridericus Bernardus Lengnick ante d. VI. Idus Novembres anni h. s. XLVI. Berolini natus sum patre Bernardo, mercatore, matre Luisa e gente Hechtel; fidei addictus sum evangelicae. Longo tempore apud ludi magistrum trito iam quindecim annos agens in gymnasium Berolinense sum receptus. Unde anno LXVII. maturitatis examine superato in academiam Berolinensem dimissus philologicis et philosophicis studiis per septem semestria me dedi, atque horum inprimis virorum ill. scholis interfui: Bonitzii, Droyseni, Hauptii, Huebneri, Kirchhoffii, Mommseni, Muellenhoffii Trendelenburgi. Muellenhoffii theodisci seminarii per tria semestria sodalis fui nec non particeps Bonitzii et Trendelenburgi philosophicarum exercitationum. His omnibus viris de me optime meritis occasione oblata maximas ago gratias.

Theses.

I.

Falso adhuc A. Cornelius Celsus sub Tiberii demum imperio vixisse credebatur.

II.

Cic. or. pro Sulla I. 1. in verbis his: in ceteris malis facile patior oblatum mihi tempus esse, in quo boni viri lenitatem meam misericordiamque — agnoscerent, inprobi ac perditi cives, redomiti atque victi, praecipitante republica vehementem me fuisse atque fortem, conservata mitem ac misericordem faterentur, scribendum est pro redomiti: re domiti.

III.

Abutitur Heimsoethius scholiis ad restituendas Aeschyli fabulas.

IV.

Minime probari potest Zelleri sententia in historia philosophiae Graecae II. pg. 345 adnot. 2. iudicantis, Phaedrum dialogum ante Gorgiam esse conscriptum.